
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
14
27 0
18

Fin.

Estas santas constituciones fueron de el hermano [illegible] Martin de S. Franco., el año de 92, en 29 dias de el mes de diciembre [illegible] [illegible] ==

CONSTITVTIONES SACRI ET REGALIS ORDINIS PP. EXCALCEATORVM B·MARIÆ DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORVM,

AVTHORITATE APOSTOLICA AB ORIGINE SVÆ FVNDATIONIS FIRMATÆ.

QVIBVS IN HAC VLTIMA EDITIONE accesserunt ea omnia nova decreta, quæ in pluribus Capitulis Generalibus successiva confirmatione sanccita, æquali cum ijsdem Constitutionibus antiquis robore sunt aggregata.

OPERA ET SOLICITVDINE P.N.F. ISIDORI A SANCTO IOANNE,

Totius prædicti Ordinis XII. Vicarij Generalis, & Maiestatis Catholicæ Concionatoris.



Hispali apud *Thomam Lopez de Haro*. Anno Domini 1685.





INITIUM
SACRI ORDINIS
BEATÆ MARIÆ DE MERCEDE,
REDEMPTIONIS CAPTIVORVM,
ET IPSIVS RECOLLECTIONIS
EXPONITVR.


OST miſeram illam Hiſpaniæ deuaſtationem, quam Rodericus infortunatiſſimus Rex Chriſtianorum genti intulit, omnia pené Hiſpaniæ loca, Mauris ocupantibus, ſequuta eſt populis dura, & acerba ſervitutis occaſio. Nam cum à Barbaris vndiqué oppreſſi, & quaſi ſepti Chriſtiani verſarentur, etiam cum Regum Chriſtianorum armis divina potius ope, quam humana virtute munitis, barbaricæ tyrannidis iugum excutere cœperunt, ſæpè ſæpius, aut bellorum, aut crudelitatis Mauricæ cauſa necem, vel nece peiorem ſubibant ſervitutem. Hæc miſeranda Deus ſuæ gentis, Religioniſquè ſacræ, populorum excidia cernens, divino robore præditos Hiſpaniæ Principes, Regeſquè excitauit; qui ſicut olim ſtrenui illi Iudices divinæ legis, Hebræo-

rum-

rumquè tunc à Deo in populum dilectum adſcriptorum inimicos fœlici Marte propulſabant, à Barbarorū manibus,& ſervitute Chriſtianæ Religionis homines liberarent. Inter hos, divina providentia, Iacobum Regem ex Maria, quæ cognomen ſanctæ ob vitæ candorem meruit Guillermi Mompelieris Domini filia, Petroquè Aragonum Regè, in pervigilio Præſentationis Virginis, poſtridiè Kalendas Februarias, poſt mediam noctem, anno milleſimo ducenteſimo octavo, & Mompelieris loco natum, adverſus hoſtiles Sarracenorum vires debellatorem maximum elegit, qui non ſolum truces Chriſti inimicos infringeret, verum etiam illius alumnos oppreſſos, è laboribus ſervitutis educeret: Chriſtianamquè Fidem, in cuius honorem in locis à Mauris ereptis duo millia Baſilicarum Regali liberalitate conſtruxit, mirum in modum propagaret. Hunc Iacobæi fulminis adverſus Mauros æmulatorem fore, vbi primum natus declaratum eſt. Nam cum pietatis cauſa eius Mater in Eccleſia Sanctæ Mariæ Mompelieris loci, vbi ſacro latice Iacobus fuit intinctus, duodecim cereos, in ipſis Apoſtolorum duodecim nominibus ſcriptis, iuſſerit collocari, conſumptis vndecim, ille cui Iacobo Apoſtoli nomen inerat, per duas poſteá horas coruſcanti flamma reſplenduit. Quamobrem Iacobi nomine appellatum, ex tunc

Bar

Barbarorum fulmen, ſanctiſſimæquè Virginis, in cuius die natus, & in cuius Eccleſia Chriſtanæ Relgioni nomen dedit, eximium augurabantur omnes cultorem Petrus Iacobi parens Comiti Simoni de Monfort, natione Gallo, cui ipſe loca de Caſcaſes in tutelam commiſſerat, filium tradidit educandum, à quo poſtea oppreſſus, & penè in captiuitatem Iacobus redactus eſt. Puer optimis moribus imbutus, erga Beatiſſimam Virginē ſpeciali pietate, erga captiuoſquè miſericordia creſcebat: nihil magis optans, quam à Nutritio Comite liberari, idquè enixe, fuſis ad Deum precibus, poſtulans, vt obſequium Virgini, captiuiſquè libertatem præberet, exemplo ſuo ſatis edoctus, quantum illacriymanda ſit captiuitatis Chriſtianorum conditio. In hac Comitis quaſi incarceratus tutela, ad colloquia Parentem noſtrum Nolaſcum, cui vtpotè Gallo magis Simon fidebat, Iacobus Princeps excepit, vt in noſtris Chronicis recentioribus, lib. 1. cap. 3. legitur. E cuius familiari congreſſu forſan in captivos pauperes, quos ſanctus Parens noſter vnicè diligebat, & quorum ſaluti, divitibus parentum ſuorum facultatibus, opitulabatur, Iacobi Regis creuit miſeratio. A Comitis tutela liberatus Iacobus, annum ætatis ſuæ 11. ferè nactus, & quintum ſui Regni, cum Barchinonæ in ſecretiore loco Regiæ aulæ, anno à Virginæo

 partū

partu millesimo ducentessimo decimo octavo in Kalendis Augusti, feruenti oratione à Deo Christianorum peteret libertatem, Maurorumquè expulsionem, nocturno tempore, in splendida veste Beatissima Virgo, serenaqué fronte Iacobo se conspiciendam dedit. Quæ illius preces á Deo pro Christanis liberandis, Religionisquèamplificandæ vota exaudita testificata est. Nouiquè Ordinis institutionē futurā aperuit, cuius ipse fundator esset exciturus, reliqui qué Reges successores, Patroni, sub nomine Beatæ Mariæ de Mercede, liberandis è potestate Sarracenorum captiuis intenti. Hæc dum audivit hilari, ac grato animo Iacobus, eximias Virgini pro singulari Christianæ Reipublicæ beneficio gratias rependit, sequè Religionis fundatorem ad captiuos liberandos promissit. Eadem nocte Sancto Petro Nolasco Parenti nostro, ac fundatori, Diuoqué Raymundo de Peñafort, qui à Regis, Parentisquè nostri confessionibus erat, idem ipsum Virgo Sanctissima declaravit. Petroquè Nolasco Redemptioni captiuorum iam antea addicto, in illorum salutem procurandam facultates suas expendere imperauit, quantum eximium illud opus apud filium Orbis Redemptorem valere, quantumquè illius filij Redemptores Christi vestigijs inhærentes, in fidei obsequium, Christanorumqué saluti essent laboraturi, exponens. Collatis

miro

miro modo inter se consilijs, Diuinaquè per Virginem voluntate revelata, die á reuelatione decima Martyrio Diui Laurentij sacra, in Ecclesia Cathedrali Barchinonensi, Iacobo Aragonum Rege, Diuoqué Raymundo de Peñafort adstantibus, & adiuuantibus, Berengarius de Paloù Barchinonensis Episcopus Sanctum Petrum Nolasco habitu candido in Virginis fundatricis candoris signum, summa populi lætitia, & acclamatione induit. Religionis nostræ candida veste recepta, Procurator Generalis Redemptionis Parens noster nominatus est; at post confirmationem Religionis Generalis Magister acclamatus, nihilquè magis auidè conatus, quam adhibitis secum lectissimis viris, Orationi, & vitæ asperiorioris disciplinæ, Redemptioniqué captiuorum vacare. Cuius religiosæ vitæ exemplum, non solum apud Iacobum Regem, & Proceres, Pleberosqué Aragones, sed etiam apud Barbaros, quorum multos ad Christi fidem pertraxit, comendauit. Iacobus Rex Ordinem, (vt ille appellabat) suum, multis Priuilegijs, & amplissimis honoribus condecorauit. Cumquè nouus Ordo magis, ac magis in dies augeretur, Iacobus Rex Diuum Raymundum de Peñafort ad Gregorium Nonum, Perusijs in Gallia tunc degentem, Legatum missit, vt Religionis nostræ fundationem Apostolica firmaret authorita-

te.

te. Anno igitur Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono, à fundatione vndecimo, Kalendis Nouembris, Gregorium Pontificem Summum Diuus Raymundus allocutus est, & Regis nomine, totiusquè Regni, nostri Ordinis confirmationem eflagitauit: quanta populo Christiano bona, fideiqué sacræ honor ex illo cresceret, exponens, quod etiam Diuina reuelatione institutus fuerat, subtitulo Redemptionis captiuorum Beatæ Mariæ de Mercede. Quæ omnia Gregorius maturo consilio expendens, votis Regis Iacobi, & totius Regni annuit, Religionemqué fundatam sub diui Augustini Regula, & titulo Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum, post aliquot annos confirmavit, videlicet anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo quinto, ab Ordinis fundatione circiter decimo septimo, die decima septima Ianuarij santissimo Antonio Abbati dicata, Pontificatus Gregorij Octavo, qui eximijs privilegijs, & honoribus nostrum Ordinem amplificauit. Hæc nostri Ordinis initia.

A primis veró Religio nostra exordijs, Equites, & Sacerdotes Religiosos, quorum hi spiritualibus exercitijs, interdumquè Redemptioni, illi Redemptioni captiuorum incumbebant, complexa est. Omnium verò ita erat fervens Dei contemplatio, in Diuinisquè laudibus frequens exer-

exercitium, lectiquè, & indumentorum asperitas, vt rigidi potius eremorum accolæ, quam militares Equites viderentur. Nudipedes fratres nostri, etiam cum itineris molestias patiebantur, causa postulandi pro captiuis eleemosynas, in Chronicis nostris legimus. Imo quod indumenta ex panno crassioris staminis conficerent, qualia nunc excalceati gerunt, vel alterius similis texturæ. Quod autem pedum nuditas fratribus fuerit in vsu, ex eo patet, quòd in Generali Capitulo, anno Domini millesimo, ducentesimo quadragesimo quinto, post trigesimum septimum à fundatione Religionis, & á confirmatione decimum, decreto Difinitorum stabilitum fuit, quod fratres nostri domi, si vellent, nudipedes incederent, cum verò ad eleemosynas pro captiuis postulandas pergerent, né deinceps nudipedes irent, sed quosdam calceos portarent, qui licet pedis superiorem partem nudam ostendebant, pedis plantam, vti modo excaleatorum sandalium, tuebantur. Extat horum omnium testimonium apud Magistrum Fr. Bernardum de Vargas, é Patrum nostrorum calceatorum familia, in Chronicis Religionis, prima parte lib. 1. cap. 24. in fine, cuius ipsissima verba in præclarum Religonis nostræ monimentum vitæquè, asperrimæ á principijs nostris obseruatæ, libet hic transcribere, sunt autem hæc.

Si-

Similiter aduertere oportet: quod fratres nostri Equites, & Clerici Diuino spiritus feruore ducti, gestabant à principio habitum reformatissimum ex panno scilicet crasso, vulgariter dicto (frisa, seu cordellate) & eorum tibialia tantum pertegebant crura, non autem pedes. Et multi eorum arctioris vitæ studio, discalciati incedebant, vt clarè constat ex antiquis codicibus, qui tempore Gregorij Papæ XIII. fuerunt Romæ a fratribus nostris Gottolanis suæ Sanctitati præsentati in lite, quæ inter ipsos, & fratres ex Prouincia Castellæ vertebatur, quos vidi, tenui, & legi, & plurima ex eis, pro hac nostra Chronica desumpsi, & extraxi. Ibi legitur, quod fratres nostri antiqui fratres de pænitentia vulgariter appellabantur. Hoc igitur anno Generale Capitulum, tàm Ordinis reformationi, quam fratrum saluti consulere volens (quia quotidiè fratres eleemosynas procurantes, & Redemptionis opus exercentes, præ nimia asperitate, & pænitentia per loca aspera incedentes, infirmari solebant) ordinavit, & statuit, quod deinceps intra claustrum fratres nostri possent, si vellent, discalciati incedere, extra claustrum verò, dum eis eleemosynas procurare, aut ad opus Redemptionis proficisci contigeret, calceos adinstar fratrum Templariorum, gestare deberent, qui licet pedum plantas tegebant, non tamen omnes superiores partes, nequè pedum talos cooperiebant. Huculque Magister Vargas. Floruit in hac nostra

tra Religione per tot annorum curricula singularis,& eximia virtus præclarum virorum,quorum nostri Annales miraculis, & sanctitate redundant.Floruit Religio multorum Martyrum sanguine irrigua, qui in defensionem Fidei, fratrumquè charitatem pias animas Deo immolarunt, quibus viam demonstravit sanctus Iacobus à Soto Toletanus,Granatæ à Regulo Mauro crudelitèr occisus:quem secuti sunt alij plures, videlicet sanctusPetrus Paschasij ValentinusGiennensisEpiscopus à Mauris captus, & sæuissimé trucidatus, sancti Ioannes Hueptensis, & Ioannes Zorroza, sanctus Iustinus Gallus, sanctus Guilhelmus Sanctij Valentinus, sanctus Arnaldus Gottholanus, sanctusPetrusHernasius,sanctus Ioannes Granatensis ProuincialisCastellæ, qui à Mauris Regibus Granatensibus originem traxit, nec non, & santus Petrus deMalasanchCommendator Perpiniani eius in passione socius, qui omnes diuersis temporibus apud MaurosGranatenses gloriosum fidei testimonium proprio sanguine dederunt: cum alijs multis, quorum mentionem, ne prolixi nimis videamur, omittimus.Horum purpura & Cardinalitia, ad quamDiuus nosterRaymūdus fuit vocatus,innumerisquè infulis splendida,literis,& nobilitate etiam filiorū Regum præclara ,Ecclesiæ sanctæ honorem, populisquè salutem attulerat. Cum anno à Christi incunabulis millesimo sexcentesimo tertio,& áReligionis exordijs trecentesimo octogesimo quinto,postridié Nonas Maij, Apparitioni Archangeli Michaëlis consecrata, quæ eo anno cum festo Ascensionis coinciderat, Pon-

tifice summo Clemente Octavo, & in Hispania, Philippo Tertio Regnante, viros eximia virtute præditos, avitæquè non immemores excitauit, vt ad arctioris vitæ institutum, primæuumquè asperitatis statum sese reciperent. Tenebat eo tempore Religionis nostræ supremum gubernaculum Reuerendissimus Magister Ildefonsus á Monroy, vir ob singularem prudentiam, vitæquè candorem immortalitati commendandus ex prouincia Vvandaliæ. Hic maturo consilio, Diuinoqué Religionis zelo commotus venerabilibus patribus, fratri Ioanni Baptistæ à sanctissimo Sacramento (cuius corpus suauissimum perflans odorem, incorruptumqué diù, Cœnobium excalceatorum, sanctæ Barbaræ Madritense summa veneratione seruauit) insigni virtute, & sanctitate prædito: & fratri Ludouico á Iesu Maria (qui primus Prouinciæ de sancto Iosepho prouincialis creatus sanctssimè præfuit, vitæquè puritate, & mansuetudine resplendens in senectute optima, non tam canitie, quam virtute plena in Vallisoletano Excalceatorum Cœnobio, cum præclara sanctitatis fama obijt. Et Fratri Michaëli Christi vulnerũ (qui Provinciam D. Raymundi in Regno Siciliæ illustrauit, & eximio vitæ exemplo, & sanctissima morte claruit, cuius corpus Mesinense veneratur cænobium) Et fratri Ioanni de sancto Iosepho (qui primum Apostolica authoritate, deinde omnium electorum suffragio, totiusquè Recollectionis gaudio, in primis Generalibus comitijs in Cœnobio de Sã-Lucar de Barrameda in Provincia Conceptionis celebratis, Vicarius

Ge-

Generalis Recollectionem prudentiſſimé gubernauit, cuius eximiam ſanctitatem, quia adhuc viuis move mur exemplis, ſilentio commendamus.His primis excalceatorum parentibus exProuinciaCaſtellæ facultatem conceſſit, vt illam vivendi formam auſteriorem eligerent, cui iuuandæ ipſe Reverendimus Pater paucis, ſed ſanctiſſimis legibus conſuluit.In ſacello igitur VirginisMariæ,cui à Remedijs nomen in Patrum noſtrorum calceatorum Madritenſis cœnobij ſito, primi noſtri Parentes aſperiorem habitum accepére, vt qui Virgini,ſub eodem inſtituto ſpecialem erant præſtituri famulatum, ſub niueo Virginis ſydere Recollectioni dicarentur.Induti candida excalceatorum toga, habituqué aſperiori, in ſolitarium locum oppidi de Ribas, tribus á Matrito leucis diſtantem, Protoparentes noſtri prædicti cum alijs primum ipſis adiunctis, die Veneris immediaté ſequentis, poſt feſtum Apparitionis ſancti Michaëlis nona dieMaij ſe contulerunt.Erat ibi domus Comitiſſæ del Caſtellar, quæ primum ParentesRecollectionis excepit.Parum ab hàc domo diſtabat eremitica Domus Diuæ Cecilia ſacra,in qua Parentes noſtri Miſſæ ſolemnia celebrabant.Hic orationi, vitæqué rigidioris exercitijs vacantes, vitam ſanctiſſimam duxerunt. Fouebant Religioſæ obſervantiæ exempla incæptum viuendi propoſitum, æmulis virtutum exercitij, nulli magis rei, quam divinarum laudum præconijs,pœnitentiqué vitæ attendentes. Dũ hanc vivendi formam feré vſque ad Natalitium Ioannis Baptiſtæ diem eiuſdem anni obſeruant, né ſine la

bore virtus extranea videretur, locorum Ordinarij veriti, quod vellent Monasterium construere, in Parentes nostros insurgunt, Missamquè celebrare in prædicta eremitica Diuæ Ciciliæ domo, & in Ecclesia oppidi de Ribas interdicunt. His angustijs coacti iterum in Madritum reuertuntur, vbi admodum Reuerendum Patrem Magistrum Ferdinandum de Sanctiago inopinato inueniunt, qui à Reueredissimo Patre Generali Ildefonso de Monroy, vt excalceatos fratres in Bæticam adduceret missus, his temporibus Madriti hospitabatur. Illustris Domina Beatriz de Mendoça Comitissa del Castellar (quam Parens noster Fr. Ioannes Baptista à Sacramento alloqutus, austerioris vitæ, nouæquè Recollectionis propositum manifestauerat, vt illius auxilio Magister Generalis excalceatorum instituto annueret) in Almoraymæ solitudine oppidi del Castellar amplam Conuentui glebã largita est. Ibiquè quarto Nonas Octobris, die sancti Francisci primum Recollectionis extructum est Cœnobium. Vbi patres Fr. Ioannes Baptista à Sacramento. Fr. Balthasar à sancto Laureano, Fr. Michaèl Christi vulnerum, & Fr. Gartia à sancto Ioanne ex prouincijs, tũc Castelæ & Vuãdaliæ, nunc Conceptionis, & D. Ioseph, cum alijs socijs fratres, qui eo tempore excalceatorum institutum amplexi fuerant, primi illius Domus incolæ rigidis macerationibus, parcissimis escæ ieiunijs, durissimis corporis afflictionibus, continuis precibus, & alijs austerrimæ vitæ exemplis eremum illam antiquorum Palestinæ Patrum ad Almoraymæ solitudinem transtulerunt.

runt. Sequenti verò annò millesimo sexcentisimo quarto, eadem Domina in loco del Viso Hispalensis Diœcesis ditioni suæ subdito secundam Recollectioni domum die vigesima quinta Ianuarij donauit. Adstantibus in eius fundatione Reuerēdissimo Magistro Generali Ildefonso à Monroy, & Patribus, Fr. Ludouico de Iesu-Maria, & Fr. Ioanne de sancto Iosepho, cum alijs Patribus excalceatis, ex prædicta Prouincia, qui omnes domum hanc fundauerūt. Postea verò aliæ plures domus extructæ sunt ad excalceatorū vitā aptæ, quarū memoriam Chronciæ historiæ nostræ Deo dante facturæ sunt. Hāc viuendi formā Paulus Felicis memoriæ Papa V. literis datis Romæ apud sanctū Marcū anno millesimo sexcentessimo sexto, 16. Kalendas Septēbris Pontificatus sui anno secundo, his verbis confirmauit Bulla 25. §. 3 tom. 3. Bullarij Pontificij relata. *Reformationem nonnullorum eiusdem Ordinis piorum, & Religiosorum virorum, quos perfectionis vitæ amantes, aliquas domos reformatas, seu Recollectas nuncupatas in Prouincijs Castellæ, & Beticæ, vbi sub arctioribus quibusdam vitæ, & morum regulis longè à sæcularibus curis viuunt, iuxta dicti Ordinis laudabiles constitutiones, per eos rigorosius, & strictiùs obseruari cœptas instituisse, cum nō exigua animi nostri in Dño lætitia percepimus, omniūquè, & singularum domorum huiusmodi ærectionem, necnon, omnes, & singulas antiquas dicti Ordinis constitutiones, & ordinationes per eos, vt præfertur, obseruari cœptas, quarum etiam tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter ... illis haberi volumus (quatenus non sint reuocatæ,*

nec

nec decretis Concilij huiusmodi contrarientur) auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuo approbamus, & confirmamus.

Post non paucos, nec lenes exantlatos labores, quales in rebus magnis, & santictissimis inueniri solēt, cō structis pluribus templis, & domibus, filiorumquè religiosa propagine excalceatorū familia auctaest. Né igitur tantus Ecclesiæ, Religionisquè nostræ decor excideret, imó vt magis perpetua, firmaquè excalceatorū viuendi forma, Religiosæquè, & austeræ vitæ sanctitas (qualem frequentibus in hebdomada ieiunijs, escæquè carnalis abstinentijs, rigidis flagellationibus, continuis precibus, mentisquè contemplationibus, durissimis lectis, non nisi pauperibus stragulis, ad vitandas frigoris molestias stratis, nudis pedibus, & asperis indumentis, alijsquè secretioribus laboribus, excalceati præseferunt) futuris posteà conservaretur temporibus. Gregorius XV. Literis datis Romæ apud sanctum Petrum die vigesima sexta Nouembris, anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo, Pontificatus sui anno primo, excalceatos fratres omnino àcalceatis separauit. Et ne aliqui dictas literas nullitatis arguerēt defectu potestatis Generaliū Procuratorū, ex quorū consensu sanctissimus Pater ediderat, idem ipse motu proprio, & literis datis Romæ apud sanctam Mariam Maiorem die vigesima Augusti anno millesimo sexcentessimo vigesimo secūdo Pōtificatus sui anno secundo cōfirmauit. Quæ omnia sanctissimus Parens noster Vrbanus qui Ecclesiam Dei nunc felicissimè regit, literis Motus pro-

pij

pij datis Romæ apud sanctam Mariam Maiorem die octaua Iulij, anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Pontificatus sui anno quarto, confirmationis robore muniuit. Hi verò Summi Pontificis literis prædictis excalceatis fratribus Præsules ex eadem familia præposuerunt, qui vti magis in rebus nostris experti illam gubernarent, & quod præcipuum est, exemplo suo cæteros ad regularis disciplinæ obseruantiam pellicerent. Et ne à rigidiore institutione excalceatorũ aditus ad aliam pateret, censuris, pœnisquè maximis ad calceatos regredi interdixit Sanctissimus pater noster Vrbanus Octauus, vt in literis suis datis Romæ apud sanctum Petrum, die decima nona Ianuarij millesimo sexcentesimo vigesimo, octauo, & sui Pontificatus anno quinto videre licet. Prædicti verò santissimi Pontifices, non solum excalceatos fratres separarunt; sed Religionis nostræ priuilegia, honores, & gratias omnes illis concesserunt. Denique Gregorius XV. Pontifex Summus excalceatorũ vitam magis, ac magis firmãs nouas iussit sanciri leges, constitutionesquè, huic austeriori viuendi formæ magis aptas, vt ita nobis Gregorij maximè auxiliarentur, dum alter Religionem nostram instituit, reformat alter. Hæc nostra sunt excalceatorum initia, quæ multorum virorum, ac feminarum, sub excalceatorum instituto, Deo militantium, sanctitate, doctrina, prudentiaquè præditorum exempla insequuta sunt. Ex quibus aliquæ Religiosorum vitæ Ecclesia examini sunt traditæ, vt Sanctorum catalogo

logo adſcribantur. Et in tám breuiſſimo tẽpore ita per Hiſpaniam, & Italiam domos, viroſquè lectiſſimos Recollectio habuit, vt non immerito ſicut Reuerendiſſimus Magiſter Generalis Ildefonſus Monroy credidit, Religionis noſtræ hortus ſpiritualium delitiarũ ſit, vt à Redemptore noſtro, cui in omnibus placere deſiderat, hæc Redmptorum excalceatorum familia appellari poſſit, HORTVS CONCLVSVS: atquè illis Canticorum cap. 4. verbis alloqui· HORTVS CONCLVSVS, SOROR MEA SPONSA, HORTVS CONCLVSVS. Nequè myſterio horti concluſi ingeminatio caret, cum non ſolum Recollectio noſtra hortus concluſus ſit, inſtituto Redemptionis captiuorum, vt patrum calceatorum familia concluſa; verum etiam aſperioris vitæ forma cùm eodem inſtituto iterum concluſa. Præuiderat ſanè ſanctus Parens noſter Petrus Nolaſco (niconiectura fallit excalceatorum familiæ euentum, celebri illa Dei manifeſtatione, quam Reuerendiſſimus Magiſter noſter Zumel in eius vita commemorat, cuius tanti Magiſtri aureis verbis meminiſſe decet. *Nocte quadam, ſicut de more conſueuerat, poſt primam noctis quietem (noſter ſanctus fundator) in templum ſe conferens, in oratione atento animo pernoctabat: & poſt nocturnas abſolutas preces, indè aurora emergente in domum ſuam ſe paululum dormitans recepit, ibiquè ſcamno iacens, eiuſmodi ſomno fuit commotus. Oliua ſpecioſæ magnitudinis fixa cernebatur in ingenti atrio, ſeque ipſe putabat ſub arbore verſari, & interdum ſedere. Quoſdam verò*

rò

rò graues, honestosque homines ad ipsum accessisse, qui se dicerent à Rege Magno missos, vt illi opitularentur, ne arbor, sub qua requiescebat, à quoquam effoderetur. Alios rursus occurrisse viros, qui securibus & fodiendi instrũentis allatis arborem speciosam summa cum festinatione euellandam, & effodiendam contendebant. Sed interim dum id ab eis peragebatur, quod amplius conabantur speciosam oliuam eradicare, eo densiores tenacioresque radices defigebantur. Imo vero mox ex relictis illis radicibus innumeraquè speciosa emergere virgulta, totumque impleuere atriũ. Hæc sapientissimi, & Reuerendissimi Magistri verba.

Et quidem, qui attento animo parentis nostri visionem animaduertat, totius Religionis nostræ statũ Recollectionisquè perspiciet. Quid enim oliua illa portendebat, nisi Redemptorum familiam illustrem (& vt verbis vtar Pontificis Summi Pauli Quinti in Bulla 25. Confirmationis priuilegiorum, & approbationis discalceatorum supra relata) inter omnes vitæ Regularis Ordines, in primis omni sui ex parte conspicuam? Vt enim oliua misericordiæ specimen gerit, Orbiquè naufrago libertatem, clausisquè in arca Noetica spem contulerat, non aliter Beatæ Mariæ de Mercede Religio, quam speciosa oliua misericordiam singularem, eximianqué charitatem erga captiuos tenebrosis ergastulis conclusos, ostensura erat, libertatisqué allatura beneficium. Atque, vt solet, oliua Diuino cultui præbere famulatum, fomentum Ecclesiæ lucibus ministrans, acutosquè dolores suauitate lenire: sic Redemptorum familia Ecclesiæ sanctæ lumen, doctrinæ,

morumqué ſanctiſſimorum ſplendore, affli ctiſquè,& dolentibus captiuis de miſeranda ſeruitute, gratã largitura erat libertatem. Huic ſpecioſæ oliuæ auxiliaturi à Rege magno miſſi honeſti viri, Proto parentes noſtros venturos prænotabant,qui virtutum exemplo, vitæquè ſanctitate noſtram fulciebant Religionem. Qui verò ſecuribus oliuam radicitùs euellere conabãtur,Religionis Chriſtianæ hoſtes, qui parentes noſtros Redemptores ob fidei patrocinium, impijs occiderunt gladijs, apartè ſignificabant. Hi verò dum euellendam Religionem credunt plurimorum Martyrum nece, altas oliua noſtra agebat radices. Vt enim arborem qui tondet, dum ramos abſcindit, auget: tonſis oliuæ noſtræ Religionis ramis, filijs ſcilicet, ſanctiſſimis pro Chriſti fide interfectis, noſtra magis creſcebat Religio, vt potiús ſanguis Martyrum Religioſorum ſemen, quam extinctio videretur. Virgulta verò, quæ ex relictis oliuæ radicibus pullulabant, Recollectionem deſignabant noſtram. Virgulta enim è radicibus emiſſa, ſimul cum arbore ſunt, eandemqué radicis virtutem, & ſuccos habent,licét in diuerſis ſint erecta ramis.Noſtra veró Recollectio idem inſtitutum amplexa diuerſis filijs alteri, ſcilicet, poteſtati ſubditis, ab ea cui parentes noſtri Calceati ſunt ſubiecti, gaudet. Dicam etiam Recollectionem virgultum: tùm, quia humilibus ſpiritalis vitæ actibus exercetur: tûm, quia poſtremis erat extitura temporibus. Virgultum enim frequenter, poſt quam excreuit, arbor naſci ſolet. Deniqué, ſicut horticolæ vir-

gul-

gultum arboris fructiferæ magni æstimare solent, vt senescentis arboris dispendia resarciant, & fructus arboris perseueret, sic Recollectionem nostram Deus instituit, vt primœuam Religionis asperitatem, vitæqué rigidioris pœnitentiã, quæ hodie in multis nostris parentibus Calceatis conseruatur, communis omnium Excalceatorum, vel instauraret vita, vel istauratam in pluribus conseruaret. Forsam huius sacræ Recollectionis euentum: vaticinio expressit Oseas cap. 14. vbi ait: Erumpet radix tua sicut Libani, & ibunt rami, & erunt quasi oliua gloria eius. Orta enim Religionis nostræ radice, quasi Libanus ob instituti nostri celsitudinem, & vitæ puritatem aucta est. E qua radice rami, seù virgulta, Excalceatorum inquam familia, gloriam oliuæ habuit: honorem scilicet apud omnes, quem ob vitæ rigorem fratres nostri, quos olim pœnitentiæ fratres vocabant, consecuti sunt. Accinit Oseæ vaticinio, Isaias cap. 41. vbi de varietate spiritualis gratiæ in Ecclesia futuræ, quæ maximé in Religionum varietate constat, loquens, Diuiuo Hieronymo, & Gregorio testibus, ait: *Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & Myrtum & lignum oliuæ.* Cedri enim nomine, & spinæ (Diuo Hieronymo, & Gregorio, alijsqué sanctis patribus consentientibus) Prædicatores Ecclesiæ designãtur, qui officij celsitudine cedri, prædicatione verò quasi spinæ pungentes sunt: aptéqué Prædicatorum familiam, quæ sub eisdem temporibus, ac nostra instituta est, insinuat. Myrtus vero, quæ humilis ar bor á Columella dicitur, Minorum fratrum familiam nos-

træ Religioni coæuam denotabat, quas insecuta est Religio nostra oliuæ arbore adumbrata. Sed vbi nunc lignum oliuæ apud Isaiam legitur, ex Hebræo nomine, quod lignum, seù virgultum arboris significat, Procopius reddidit virgultum. Lignum ergò oliuæ Religionem nostram, virgultum verò oliuæ Excalceatorum famliam dixerim, quam Deus in opaca Almoraymæ solitudine oppidi del Castellar, vt dictum est, ostendit. Ne verò diuisa, vel instituto, vel charitate á parentum Calceatorum familia Recollectio videatur, sub vno nomine lignum oliuæ, & virgultum comprehenditur. Nam sicut radicis sanctitatem, Religionis scilicet nostræ, rami Excalceatorum ebiberunt, ita illi semper instituto, & charitate inhærent: vt iuxta Diui Pauli ad Rom. 11. dictum. Si radix sancta, & rami sint, & socij pinguedinis oliuæ, scilicet, sanctissimorum Patrum sanctitatis, hæredes, & imitatores simus.



IN-



INCIPIT REGVLA
BEATI PATRIS NOSTRI AVGVSTINI EPISCOPI.
CAPVT PRIMVM.

ANte omnia, fratres chariſſimi, diligatur Deus: deinde proximus, quia iſta præcepta ſunt principa-

cipalitèr nobis data. Hæc igitur sunt, quæ vt obseruetis, præcipimus, in monasterio constituti. Primum propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis anima vna & cor vnum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Et distribuatur vnicuiqué vestrum, á Præposito vestro, victus & tegumentum, non æqualitér omnibus, quia non æqualitér valetis omnes; sed potiùs vnicuiqué sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuiqué, sicut cuique opus erat. Rursus, qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi fuerint monasterium, libentér velint illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen, eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur, etiam si paupertas ipsa, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Non tamen ideó putent se esse fœlices, quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt. Nec erigant ceruicem, quia associantur eis, ad quos foris accedere non audebant; sed sursum cor habeant &, terrena vana non quærant: ne incipiant monasteria diuitibus esse vtilia, non pauperibus, si diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rursus etiam illi, qui aliquid videbantur esse in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex pauper-

per-

pertate venerunt. Magis autem ſtudeant, non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerunt: nec de ſuis diuitijs magis ſuperbiant,quia eas ipſi monaſterio partiuntur, quam ſi eis in ſæculo fruerentur. Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant;ſuperbia veró etiam bonis operibus inſidiatur; vt pereant. Et quid prodeſt, diſpergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cùm anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnendo, quam fuerat poſſidendo? Omnes ergó vnanimitèr, & concorditér viuite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti eſtis.

CAPVT SECVNDVM

ORATIONIBVS inſtate horis & temporibus conſtitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde, & nomen accepit: vt ſi forté aliqui, etiam præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento qui ibi aliquid agendum putauerint. Pſalmis & Hymnis, cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cantare, niſi quod legi tis eſſe cantandum. Quod autem non ita ſcriptum eſt, vt cantetur, non cantetur. Carnem veſtram domate ieiunijs, & abſtinentia eſcæ & potus quantum valetudo permitit. Quando autem aliquis non poteſt ieiunare,

ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentionibus audite; ne solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant verbum Dei. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si alitèr tractantur in victu, non debet alijs molestum esse, nec iniustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos fœliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi; sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et si eis, qui venerunt ex moribus delicatoribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorum vè datur, quod alijs fortioribus, & ideó fœlicioribus non datur, cogitare debent quibus non datur quantum de sua sæculari vita illi ad istam descenderint, quamvis vsquè ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire non potuerint. Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius (non quia honorantur, sed quia tolerantur) accipere, ne contingat detestanda peruersitas, vt in monasterio, vbi quantum possunt, fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati. Sane quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne grauentur; ita & post ægritudinem sic tractandi sunt, vt citiùs recreentur: etiam si de humillima sæculi paupertate venerint, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Sed cum
vires

vires priſtinas reparauerint, redeãt ad fœliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tanto ampliùs decet, quanto minùs indigent, ne cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos neceſſitas leuarat infirmos. Illos ſanè exiſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Melius eſt enim minus egere, quam plus habere.

CAPVT TERTIVM.

NOn ſit notabilis habitus veſter, nec affectatis veſtibus placere, ſed moribus. Quando proceditis, ſimul ambulate: cum veneritis quò itis, ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſquam ofendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Oculi veſtri, etſi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur. Nec enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini; ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle criminoſum eſt. Nec ſolo tacito affectu, ſed affectu & aſpectu quoquè appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe inuicem ſibi met (etiam tacente lingua) conſpectu mutuo, corda nuntiant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis, alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam fi-

git oculum, & illius in se ipsum diligit fixum, ab alijs se non videri, cum hoc fecerit. Videtur omninó, & à quibus se videri non arbitratur. Sed etsi lateat, & á nemine hominum videatur, quid faciet de illo desupèr inspectore, quem latere nihil potest? An ideó putandus est non videre, quia tanto videt patientiùs, quantò sapientiùs? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminæ male placere: illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius namque & in hac causa commendatus est timor, vbi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum. Quandó ergo simul estis in Ecclesia, aut vbicumque fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis. Etsi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, ne malè cœpta progrediantur: sed de proximo corrigantur. Si autem post admonitionem, iterum, vel alioquoque die id ipsum eum facere videritis, iam velùt vulneratum sanandum prodat, quicumque hoc potuerit inuenire. Prius tamen est alteri, vel tertio demonstrandum: vt duorum, vel trium testium possit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri. Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis. Magis quippè nocentes estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, cum timeat secari, non ne crudelitèr á te sileretur, & miseri-

cor-

corditèr indicaretur? Quantò ergo potius debes manifestare, ne deteriùs putrescat in corde? Sed antequam alijs demonstretur, per quos conuincendus est, si negauerit, priùs Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne fortè possit secretiùs correctus,non innotescere cæteris.Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij (etiam coram omnibus) vt possit non ab vno teste argui, sed à duobus, vel tribus conuinci. Conuictus verò secundùm Præpositi, vel etiam Presbyteri (ad cuius dispensationem pertinet) arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre recusaverit (etiam si ipse non abscesserit) de vestra societate proijciatur. Non enim hoc fit crudelitèr, sed misericorditèr, ne contagione pestifera plurimos perdat. Et hoc quod dixi, de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, iudicandisqué peccatis diligentèr, & fidelitèr obseruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus acceperit: si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur, & conuincitur, secundum arbitrium Presbyteri, vel Præpositi grauiùs emendetur.

CAPVT QVARTVM.

Vestes vestras in vnum habeatis sub vno custode, vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas

excutiendas, ne à tinea lædantur: & sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Si fieri potest, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrùm hoc recipiat vnusquisque, quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat: dum tamen vnicuiqué; prout cuique opus fuerit, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, dum conqueritur aliquis, se deterius accepisse, quam prius habuerat, & indignum se esse, quod non ita vestiatur, vt alius frater vestiebatur: hinc vos probate quantum vobis desit in illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod posueritis, in vnum tamen locum sub communibus custodibus habete, quod ponitis, ita sané, quod nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestrà in vnum fiant, maiori studio & frequentiori alacritate, quam si vobis singulis faceretis propria. Charitas enim, de qua scriptum est; quod non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur; quia communia proprijs, non propria comunibus anteponit. Et ideò quanto ampliùs rem communem, quam propria vestra curaveritis, tanto vos ampliùs proficere noueritis; vt in omnibus, quibus vtitur transitoria necessitas, superemineat quæ permanet charitas. Consequens ergo est, vt etiam cum quis suis filijs, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus, in monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, siué quodlibet aliud inter

ter necessaria deputandum, non occulté accipiatur: sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. Indumenta vestra secundùm arbitrium Præpositi lauentur, siue à vobis, siue à fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus. Lauacrum etiam corpori, quum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur. Fiat sine murmure, de consilio medicinæ, ita vt etiam si nolit, iubente Præposito, faciat quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & forté non expedit, suæ cupiditati non obediatur. Aliquandó enim (etiam si noceat) prodesse creditur quod delectat. Denique, si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen, vtrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat; si non est certum, medicus consulatur. Nec eant ad balnea, siue quocumqué necesse fuerit, minus quam duo, vel tres. Et ille, qui habet aliquó eundi necessitatem, cum quibus Præpositus iusserit, ire debet. Ægrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate (etiam sine febribus) laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de celario petat, quod cuique opus esse prospexerit. Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam, qui petierit

tierit, non accipiat. Veſtimenta verò, & calceamenta quando fuerint indigentibus neceſſaria, dare nō differant, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur.

CAPVT QVINTVM.

Lites, aut nullas habeatis, aut quam celerime finiatis, ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Quicumquè conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læſerit, meminerit ſatisfactione quan citiùs curare, quod fecit; & ille, qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe læſerint, inuicem ſibi debita relaxare debent, propter orationes veſtras; quas vtiquè, quantó crebriores hábetis, tantò ſanctiores habere debetis. Melior eſt autem qui, quamuis ira ſæpè tentetur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam; quam qui tardiùs iraſcitur, & ad veniam pentendam tardiùs inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiam ſi inde non proijciatur. Proinde vobis á verbis durioribus parcite: quæ, ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vndè facta ſunt vulnera. Quando autem neceſſitas diſciplinæ, in moribus coërcendis, dicere vos dura verba compellit, etiam ſi ipſi modum vos exceſſiſſe ſentitis, non á vobis

bis exigitur, vt à vobis ſubditis veniam poſtuletis; ne apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimiùm ſeruatur himilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino: qui nouit etiam eos, quos plùs iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis.

CAPVT SEXTVM.

NOn autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.

CAPVT SEPTIMVM.

PRæpoſito tanquam patri obediatur, multó magis Presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit.

CAPVT OCTAVVM.

VT ergò cuncta iſta ſerventur, &, ſi quid minùs ſeruatum fuerit, non negligenter prætereatur, ſed vt emendandum, corrigendumquè curetur, ad Præpoſitum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum (cuius eſt apud vos maior authoritas) referat quod modum, vel vires eius excedit. Ipſe verò qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente fœlicem. Honore coram vobis Prælatus ſit vobis; timore coram Deo ſubſtratus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſe ipſum bonorum operum

rum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusilanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Di ciplinam libens habeat, metuendus imponat: & quamuis vtrumquè sit necessarium, tamen plùs à vobis amari appetat, quam timeri: semper cogitans, Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Vnde vos magis obediendo, non solum vestri, sed & ipsius mileremini, qui inter vos, quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur. Donet Dominus, vt obseruetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore, de bona conuersatione fragrantes, non sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Vt autem vos in hoc libello, tanquam in speculo possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid negligatur, semel in septimana à vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quicumque vestrum viderit aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro; orans vt sibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.



S. D. N.

S. D. N.

D. VRBANI,

DIVINA PROVIDENTIA

PP. VIII.

LITERÆ, QVIBVS

CONSTITVTIONES

FRATRVM DISCALCEATORVM

SACRI ORDINIS BEATÆ MARIÆ
de Mercede, Redemptionis captiuorum,
in ipsis ad verbum insertas, appro-
bat, & confirmat.

VRBANVS PP. VIII

AD PERPETVAM REI

MEMORIAM.



Acri Apostolatus ministerio, per abundantiam Divinæ gratiæ (nullis licèt nobis suffragantibus meritis) præsidentes; ex iniuncti nobis muneris debito, Religiosorum Ordinum quorum cumque, in Ecclesia Dei militantium, prosperum statum,

statum, fœlicemquè directionem sinceris desiderantes affectibus, his, quæ propterea, præsertim in eorundem Ordinum Capitulis Generalibus prouidè sancita fuisse comperimus, vt firma perpetuò, & illibata persistant, exactiusque obseruentur, Apostolica nostræ confirmationis robur libenter adijcimus, eiusdemquè muneris partes propensis studijs impartimur, prout conspicimus in Domino salubritèr expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Alonsus de Sanctissimo Sacramento, Fratrum Discalciatorum, Recolectorum nuncupatorum, Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum, Procurator Generalis, quod in Capitulo Generali eorundem Fratrum, de mense Maij, anni proximè præteriti M. DC. XXVIII. celebrato, profœlici prosperoquè ipsorum Fratrum regimine, & gubernio Cõstitutiones editæ fuerunt, tenoris subsequentis: videlicet.

DISTINCTIO PRIMA.

De his, quæ ad priuatum cuiuslibet statum pertinent.

QVoniam ex Regula Parentis nostri Augustini, prius Deum diligere, deinde proximum nostrum iubemur; & ordinata charitas nos ipsos eodem charitatis vinculo Domino annectit: ideò de his primum, quæ ad Deum, deinde de his, quæ ad nos spectant, denique de illis, quæ ad proximos iuuandos attinent, præsenti Distinctione peragemus, vt ordo

ordo ipſe charitatis in rerum tractandarum methodo reſplendeat.

CAPVT I.

Vbi noſtri Inſtituti ratio, Religioniſquè nomen exponitur.

VT ergo prius à nomine, & fine, ex quo inſtituti ratio diſcernitur, vt mos eſt, exordiamur. Primum præmitti debet, quod quamuis charitatis perfectio, Fideiqué exercitium omnium Religionum ſcopus generalis ſit, Ordo noſter, vt ſpeciale inſtitutum, hoc vtrumquè præ cæteris arctiori titulo amplectitur. Nam præter tria vota, quæ ad charitatem, vt finem, tendunt, & præter Diuinum Officium, & orationem, qua maximé fides elucet, in quibus cum alijs noſtra conuenit Religio; quartum ſuperaddit votum in fauorem Fidei, & charitatis obſequium, captiuos ſcilicét redimendi Chriſtianos, in quibus maximé periclitatur Fides, nec parum authoritatis apud Barbaros, & infideles patitur, & honoris iacturam. Inquo etiam opere eximia charitas ſpendeſcit, altiſſimaqué Chriſti imitatio; ſiquidem vitam noſtram manifeſto periculo mortis exponimus, incommodis ſaltem, & non paucis laboribus pro animarum,ac corporum fratrum noſtrorum Redemptione. Quapropter Religio noſtra, Beatiſſima Virgine Maria illius Matre, ac fundatrice id reuelante,

Summisqué Pontificibus Romanis confirmantibus, Ordo sanctæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum, inscriptus, ac nominatus est. Et sicut non solùm corporum, sed præcipué animarum intendimus redemptoni, sic non tantúm corporalibus exercitijs, & laboribus in eleemosynis petendis, & captiuos á Paganorum manibus redimendis, debemus incumbere; sed etiam orationi instantes, Diuinorum meditationibus, & sacrificijs, eos, cæterosqué Christi fideles adiuuare tenemur.

Ne autem Regula, quam fecit amor, in charitatis præiudicium vertatur, volumus, ac declaramus, quòd Regula, & Constitutiones non obligant nos ad culpam, sed ad pœnam, nisi adsit speciale præceptum, aut contemptus formalis, aut virtualis. Præceptum verò obligans ad culpam, nullum in Regula, aut Constitutionibus contineri volumus, præter illud, quod natura sua est tale, ratione voti essentialis, vel Diuinæ, aut Ecclesiasticæ legis; vel nisi exprimatur excommunicatio latæ sententiæ, aut dicatur; Præcipimus in virtute Spiritus sancti, aut sanctæ obedientiæ, vel sub obtestatione Diuini iudicij, quibus, aut similibus verbis obligatio culpæ grauis exprimitur. Qua ratione, etiam peccabit grauiter sine dubio Prælatus omissiones frequentes subditorum circa Regulam impuné permittens, quæ in ipsis forsam, tamquam priuatis personis, nec leuis culpa erunt.

CA-

CAPVT II.

De vniformi vita ab omnibus, etiam superioribus, obseruanda.

QVoniam Regulæ præcepto, charitatisqué vinculo adstingimur, cor vnum habere, & animam vnam in Domino, iustum, ac rationi consentaneum videtur, vt sub vna Regula, sub vniusquè professionis voto, vniformiter in obseruatione canonicæ Religionis viuamus, vt vnitas, quæ interiùs viget in cordibus, exterius appareat, & verificetur in moribus: vna enim sine altera esse, nec intelligi valet: nec est aliquid ita charitati annexum, ac proprium, sicut vitam, & societatem habere communem. Quapropter præcipuus harum constitutionum finis est, vitam conformem ex charitate profectam ab omnibus tam superioribus, quam inferioribus, inuiolabiliter obseruandam tradere, regulis, præceptisqué munitam, & vt perpetua posteris, ac firma sit, scriptis mandare. Quamobrem nec Prælatis inferioribus, nec superioribus, nec patri Vicario Generali, etsi omnium supremo liceat peculiare aliquid habere, aut alitèr quam de communi viuere. Communi namque mensa, & cibo cũ cæteris subditis, communi veste & habitatione, cõmunibusqué ferè cæteris ad vitam, & regularem obseruantiam spectantibus, omnes absqué vllo personarũ discrimine vti debent: & caput maximè huius corporis, quod cæteris Magister, & exemplar esse oportet, eadem

eàdem ad minus humilitatis, & professionis obseruantia, quam in membris desiderat, splendere debet; eàdemquè omnino mensura, si æqualitèr valeat, ægrotet, aut indigeat, regulari debet. Hoc enim præsefert communitatis nomen, quo sæpiús congregationes Regularium, ac reformatorum appellari solent, quod omnia omnibus sunt communia. Quia tamen, vt ait Apostolus ad Rom. 12. Omnia membra non eundem actum, & officium habent: ea tantùm: quæ cuiuslibet occupationi, vel oneri incompatibilia fuerint, excipienda sunt, ita vt exceptio, officij prorsus, non personæ sit. In hoc ergo Religiosæ vnitatis, ac charitatis vinculo conseruando, sit omnis Prælatorum cura, & solicitudo. In hoc vnum ad pacem subditorum maximé necessarium exemplum, beneuolamqué obedientiam captandam, in qua cætera includuntur bona, omnes neruos, & conatus impendant. Contrarium autem facientes, exactissimam rationem in Diuino iudicio reddituros, se certó scian.

CAPVT III.

De indispensabili perpetuitate Regulæ, & Constitutionum.

CVm vniformitas religiosæ vitæ secumdùm Regulam, & Constitutiones, indiscretis dispensationibus dissoluatur; & vt omnis relaxationis causa, quæ eisdem, sub pietatis prætextu, introduci solet, mane-

maneat exclusa & Regula nostra firma conseruetur,& inuariata: statuimus, & ordinamus, quod nec Commendator in suo Conuentu, neque vllus superiorum, etiam si sit pater Vicarius Generalis, dispensandi cum communitate in Regula, aut Constitutionibus vllam potestatem habeat, hoc est quantum ad actus in communi exercendos. Poterit tamen quilibet Commendator ad tempus, cum quolibet fratrum dispensare in particulari, vt cuiuslibet necessitati aut fragilitati piè consulat, amore paterno, & pastorali cura. Teneatur verò Commendator, si necessitas perpetua fuerit, atquè diuturna, ad superiorem recurrere. In casu autem quod grauis vrgeat necessitas, aut impedimentum circa aliquid Regulæ ad communitatem pertinens, authoritatem habeat pater Vicarius Generalis, non dispensandi, sed interpretandi, eam non obligare cum tanto dispendio, aut difficultate proposita: grauitate tamem præcepti omittendi, necessitatisquè occurrentis, & vtriusquè incompatibilitate maturè discussis. Eamdem authoritatem habeat Commendator, si necessitas vrgeat, nec facilè possit ad superiorem recurri, cum consilio tamen patrum antiquorum Conuentus. Et quoties sic fuerit dispensatum, referatur causa, ab eisdemquè subscribatur, tùm vt superiori posteà visitanti constet, an fuerit legitima, vel non: tum vt successores in ea, iam superioris iudicio, & authoritate firmata, vel reprobata, quid faciendum sit in alijs similibus casibus cœterùm occurrentibus, inueniant.

Pro-

Prohibemus item, vt multitudo vitetur Constitutionum, ne aliquid de cætero statuatur, nisi per duo Capitula Prouincialia, & Generalia fuerit approbatum, & tunc in tertio immediatè sequenti poterit confirmari, vel deleri per patrem Vicarium Generalem, vel Prouincialem cum Diffinitorio. Interpretationes etiam Regulæ, aut Constitutionum factæ á Generali Capitulo, vim constitutionis non habeant, nisi per tria Capitula approbentur.

CAPVT IV.

De Officio Diuino.

VT de his, quæ ad Deum spectant, agere incipiamus, in quolibet Conuentu nostro Oratoriùm fiat, quod non longè á choro distet, in eo què fratres, audito primo signo, horis quibuscunquè diurnis, aut nocturnis conueniant: & oratione mentali, seu vocali ad Angelorum ministeria, diuinasqué laudes se præparent, vsquè ad secundum signum. Quo etiam facto, tunc omnes surgant, & recitantes Psalmum illum: Lætatus sum in his, &c. aquam què benedictam vnusquisquè pollice dextræ manus, & signo Crucis accipiens, chorum ingrediantur: vbi statim se prosternentes, Sanctissimum Sacramentum adorent: & posteà in suis locis postrati, omnes Prælati signum ad recitandas horas expectent. Ab hac communi Regula hora Tertia excipiatur, cùm anté Mis-

Miſſam recitatur maiorem, quia tunc ſatis erit in Oratorio fratres ad ſecundum ſignum conuenire, propter ſpatium horæ dimidiæ à primo ſigno diſtantis, vt in Cæremoniali habetur. Finitis horis, egrediuntur è choro ad Oratorium, recitantes Pſalmum: Deus miſereatur noſtri, &c. quo finito, dicat hebdomadarius: Saluos fac ſeruos tuos. Dominus vobiſcum, & Orationem: Actiones noſtras, quæſumus Domine, adſpirando præueni, & adiuuando proſequere vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen. Poſtea dicant omnes inclinati, & ſub ſilentio, Pater noſter, & Aue Maria, pro Eccleſia, vel alijs neceſſititabus, ad arbitrium Præſidentis exprimendis. Poſt Completorium, quando egrediuntur á choro, dicatur Pſalmus, De profundis: & in fine: Requiem æternam, &c. Kirie eleyſon, Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos á malo. Ver. Aporta inferi. R. Erue Domine animas eorum. Verſ. Dominus vobiſcum. R. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Ver. Requiſcant in pace. Amen: poſtea: Pater noſter, & Aue Maria, pro benefactoribus.

Horæ omnes ſubmiſſa voce, non curſim, aut feſtinantèr, ſed tractim, cum magna pauſa, & intermiſſione devotiſſimé dicantur, ita vt maior pauſa, & devotio ſpiritus in his horis ſuppleat, quod de ſo-

lemnitate cantus aufertur. In quo ab omnibus Prælatis peculiarem curam præcipimus adhiberi, ita vt ante plenariam terminationem vnius versus, alter non incipiatur, & inmedio versus semper pausa seruetur, non protrahendo vocem in pausa, vel in fine versus, sed suspendendo, ita vt breuitér, & succinté terminetur. Hoc autem magis,& minus,pro solemnitate temporis, obseruetur.

Prima semper dicatur immediaté post orationem mentalem: Tertia, Sexta, & Nona dicentur, vt in Cæremoniali continetur. Notandum est tamen quod cùm Missale Romanum non præcipit, vt Nona ante Missam Conuentalem dicatur, tunc dicetur post Missam, vel illa tantum, vel simul cum Sexta. Sed in diebus, quibus non ieiunatur, à festo scilicèt Inuentionis sanctæ Crucis inclusiuè, vsque ad festum Exaltationis eiusdem inclusiué, dicitur Nona hora prima post meridiem expleta. Vesperæ autem post horam secundam, vel tertiam, secundum consuetudinem locorum (preterquam in Quadragesima, in qua dicuntur post Missam) recitentur. Completorium verò immediaté post orationem mentalem vespertinam dicatur, exceptis diebus infra octauam Corporis Christi, in quibus simul cum Vesperis recitetur. Horæ Matutinæ inuiolabiliter media nocte dicantur, exceptis diebus infra octauam Corporis Christi & tribus vltimis diebus maioris hebdomadæ, in quibus transacta quinta hora post meridiem, dicto Completorio, peractoqué conscientiæ examine, dicentur, vt ab

ab omnibus fidelibus in Ecclesia existentibus exaudiri possint. Excipitur etiam dies prima Paschatis Resurrectionis, in qua Matutinæ preces circà ortum auroræ, vt fieri solet, recitandæ sunt.

CAPVT V.

De horis cum cantu solemniter celebrandis.

OFficium Matutinum cum Laudibus, in diebus solemnioribus, cum cantu celebretur, in primo scilicèt die Natiuitatis Domini, Resurrectionis, & Pentecostès, & in tribus diebus maioris hebdomadæ. At in die Corporis Christi, Epiphaniæ, Circuncisionis, Ascensionis Domini, Trinitatis, nec non in Festiuitatibus Beatæ Virginis Mariæ, Assumptionis, videlicèt, Conceptionis, Natiuitatis, & Purificationis: & in diebus Apostolorum Petri, & Pauli, Ioannis Baptistæ, & Diui Iosephi; & in diebus Titularis Conuentus, & Patronorum locorum eiusdem (si festiué à populo feruentur) & in festiuitatatibus sanctorum Petri Nolaschi Patris nostris, & aliorum Ordinis nostri, & in diebus infra octauam Corporis Christi, cantetur tantum Inuitatorium, cum sequenti Hymno, & Te Deum laudamus. In Laudibus veró, á Capitulo, vsque ad finem officij. In alijs autem duplicibus secundæ claſsis, si à populo seruentur Inuitatorium cum Hymno sequenti, & Te Deum laudamus, cum cantu dicantur. In duplicibus verò

maioribus Christi Domini, & Beatæ Virginis, ac Apostolorum, Te Deum laudamus solum canatur. In Vigilia Natalis Domini, si sit Kalendæ solemnitas, Prima cantetur: Tertia verò in die Pentecostés, & Nona in die Ascensionis Domini.

Missa Conuentualis in oppidis principalioribus, & in Conuentibus sufficienti numero religiosorum prouisis, omnibus cantetur diebus: sin aliter, tantum Dominicis, & principalibus festis.

Vesperæ item primæ, vel secundæ solemnitatum primæ, & secundæ classis, cùm à populo seruantur, cum cantu fiant. In fine Completorij, Antiphona communis Beatissimæ Virginis cantetur semper. In quolibet Conuentu, etiam nouitér erecto, vbi commodé decem religiosi Choro interesse possint, teneantur prædicto modo horas canere: quamuis pro Missa conuentuali, & Antiphona Beatæ Mariæ in fine Completorij canenda, minor numerus sufficiat. Ea autem, quæ canenda sunt, tám in Missis solemnibus, quám in horis Canonicis, cum tono æquali, ac deuoto fiant, cum pausa maiori, vel minori secundum exigentiam festi, ac solemnitatum.

Quoniam Religio nostra, Beatissima Virgine reuelante, fundata est (vt à Santissimo Domino Clemente Papa VIII. in Bulla Canonizationis sancti Raymundi de Peñafort declaratum fuit) & sic sub eius militat patrocinio, tanquam sub præsidio tutissimo: statuimus vt in tanti beneficij memoriã, in isto nostro Excalceatorum Ordine singulis anni Sabbatis, primo mané, expleta ora-
tione

tione mentali,& Prima, & Tertia (ſi tunc dicatur) fiat Miſſa ſolemnis de Beatiſſima Virgine, cum duplici commemoratione, de Spiritu ſancto, & Beato Ioſepho; cui omnes religioſi cuiuſcumquè gradus, & conditionis ſint, qualibet excuſatione ſemota (præter eam, quæ Prælato gravis videatur, & vrgens) teneantur aſſiſtere. Illa veró pro aſſiſtentibus, & legitimè impeditis à Prælato applicetur, vel ſi dotata fuerit, alia Miſſa ſolemnis pro eiſdem eſt applicanda, & pro altera ſubroganda.

Item, omnibus diebus, poſt diſcuſſionem veſpertinam conſcientiæ, in prædicti beneficij gratiarum actionem, ſine cantu dicatur Antiphona, & Oratio, quæ ſubiungitur. Gaude Maria, Virgo glorioſa, quæ omnibus miſericordiæ ſinum aperuiſti, vt de plenitudine tua accipiant vniuerſi; captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationē, pecator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriā, & Filij perſona carnis ſubſtantiā; vt non ſit, qui ſe abſcondat à calore tuo. Verſ. Dignare me laudare te, Virgo ſacrata. Reſ. Da mihi virtutē cōtra hoſtes tuos. Oremus. Deus qui per glorioſiſſimam vnigeniti Filij tui Matrem, ad librandos Chriſti fideles è poteſtate Paganorum, noua Religionis prole Eccleſiam amplificare voluiſti: præſta quæſumus, vt eiuſdem precibus, & meritis à peccatis omnibus, & captiuitate dæmonis liberemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Reſ. Amen. Verſ. Oret voce pia pro nobis Virgo Maria. Reſ. Amen. Et tempore Paſchali additur. Alleluya.

CA-

CAPVT VI.

De alijs ad Ecclesiam, & Missarum celebrationem spectantibus.

NVllus à Choro, vel alijs communitatis actibus, sine Prælati benedictione, exeat, quamuis ob iustam, & rationabilem causam, sub pœna leuis culpæ. Decernimus etiam, vt in venerabili sacrificio Missæ, tàm in cæremonijs, quàm in tempore celebrationis omnes vniformitér se gerant. In qualibet Missa priuata, vt decentèr fiat, ac deuoté ad minus dimidiæ horæ pertranseat spatium: qui veró festinantér nimis, aut non deuotè, vel non ea modestia, & grauitate religio a, quæ tantum ministerium decet, & habitus noster exposcit, celebrauerit, vel non eis cæremonijs quas Ecclesia tradit, ad arbitrium Commendatoris, iuxta qualitatem culpæ, grauiter puniatur, nequè ei permittatur in publicum celebrare, nisi de eius correctione, & emendatione certó constet.

Sacerdotes omnes, quàntum possibile fuerit, Eucharistiæ sacrificium venerandum quotidiè celebrare non omittant, quo nihil est Deo gloriosiùs & honorificentiùs, nihil iucundiús cælestis curiæ spiritibus, nihil celebrantibus vtiliùs, ac fructuosiùs. Et vt tantum ministerium cum optima fiat præparatione, nullus Sacerdos cum alijs religiosis, & multò minus cum sæcularibus, tempore ante-

ce-

cedenti, & ſubſequenti ad Miſſam, confabulationes admittat, ſed potiùs toto mané ſilentium obſeruet, niſi vrgens, grauiſquè neceſſitas Prælati iudicio, aliter, fieri poſtulauerit: vel niſi animarum cura, & confeſſiones hoc impedierint. Tàm Sacerdos celebraturus, quam miniſter ad Eccleſiam egredientes, cum ea deuotione, humilitate, & modeſtia exeant, vt omnes fideles ædificentur, & indecorum nihil appareat Deo, Angelis, & hominibus, quibus in Choro, Eccleſia, & in omni loco ſpectaculum facti ſumus. Finita Miſſa, ad Sacriſtiam reuerſi, miniſter ad pedes Sacerdotis proſtratus, manum poſtulet, & oſculetur, ab eoquè benedictionem accipiat.

Statuimus prætereà, vt ſingulis annis in die Reuelationis fūdationis noſtri Ordinis, Dominica, ſcilicèt, prima Auguſti, nec non in die ſancti Martyris Laurentij, in memoriam fundationis Ordinis, & in die ſancti Antonij Abbàtis, in quo Religio, Deo fauente, á Romano Pontifice Gregorio Nono confirmata fuit: in die etiam Apparitionis ſancti Michaëlis Archangeli, menſis Maij, quo Recollectio noſtra habuit initium: in die item Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & beati Ioſephi illius ſponſi, Protectoriſquè noſtri ac Patroni, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè ac ſolemnitèr detegatur: mané quidem à primo ſigno horæ Tertiæ, vſqué ad finem Miſſæ Conuentualis maioris: & veſperé, á Veſperis, vſqué ad ſolis occaſum, vel paululum ante illum.

illum. In omnibus etiam diebus infra octauam Corporis Christi, similiter ab hora quarta, vel quinta post meridiem, vsqué ad finem Matutini officij, publicum sit nisi forté in his, & alijs diebus, ob conuentus paupertatem, vel aliud impedimentum, commodé fieri non possit. In quibus festiuitatibus, siué alijs solemnibus, Ecclesiæ nostræ proprijs ornamentis sint compositæ: neminiqué, quantum fieri possit, liceat aliquid commodatum, vel per se, vel per alios petere: præterquam in feria quinta Cœnæ Domini, pro Eucharistiæ sanctissimæ, & monumenti ornatu; & in die Canonizationis, aut Beatificationis alicuius Sancti Ordinis nostri; in die etiam Dedicationis alicuius nostræ Ecclesiæ, pro prima vice tantum. In quibus etiam festiuitatibus, Dedicationis, Canonizationis, & Beatificationis, licebit extra Ecclesias, & domos nostras processiones fieri, nec non alia lætitiæ signa, vt ignium, & luminum artificia, crebræqué cymbalorum pulsationes, rapidiqué ictus repercusæ campanæ, quos, Repiques, Hispani appellant; & in alijs publicis lætitijs, quæ, iudicio Prælati, cum consilio patrum antiquorum, id ipsum videantur exposcere.

Statuimus insuper, & ordinamus, quod deincéps in vniuersa nostra Recollectione minimé Ecclesiæ ornamenta fimbriata fiant, auro, sericové extantia, quæ vulgò dicuntur Bordados; possunt tamen nostri Ordinis insignia curiosé, ac decentér ornamentis affigi. Permittimus tamen fimbriatis ornamentis, quæ

nunc

nunc habemus, vti, donec temporis curſu abſummantur. Crucibus autem, aut cæreis argenteis vti non liceat, & ſi quæ ex his ſunt, ſumma breuitate de illis diſponatur.

C A P V T VII.

De Oratione mentali.

QVoniam Oratio mentalis eſt animæ ſanctæ ſpiritualis mira in Deũ eleuatio, tentationum victoria, tormentum diaboli, ac mentis ſolatium, ſeu refrigerium; de qua Salomon ait: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa: idcircó decernimus, ac ſtatuimus, vt fratres omnes noſtræ Recollectionis bis in die mentalitèr orent: ita vt quotidié primo mané, hora quinta in verè, á Dominica, ſcilicét, palmarum, vſqué ad primam diem menſis Octobris: in hyeme veró, á prima die menſis Octobris, vſqué ad Dominicam Palmarum, hora ſexta: & veſperé per totum annum, hora quinta, Oratio mentalis per ſpatium vnius horæ ab omnibus inuiolabiliter habeatur, exceptis diebus infra octauam Corporis Chriſti, & tribus vltimis maioris hebdomadæ: item diebus omnibus quibus ob deuotionem, vel neceſſitatem aliquam publicam, ſeu priuatam ſacroſancta Euchariſtia, é ſacrario ſolemnitér veſperé educitur, in quibus hora quarta, aut quinta, pro opportunitate conuentus, teneatur poſt meridem. Illis tamen diebus, quibus totam communitatem extra conuentum

&c. Oremus. Famulorum tuorum, quæſumus Domine, &c. Secunda, pro Eccleſia, & tertia, de ſancto Ioſepho, cum collecta: Et famulos tuos Papam, &c. Et ſic terminatur Oratio mentalis, exceptis tribus diebus maioris hebdomadæ, in quibus nihil dicatur, neque in fine, neque in principio illius. Præterea, vt feruor ſpiritus, & deuotionis nouis ſubſidijs robur, & augmentum ſumat, hortamur omnes, tàm Prælatos, quàm ſubditos, vt quotannis ſpiritualibus exercitijs, ſaltem per vnam hebdomadam, piam operam impendant. Quæ ſemèl in anno procuratoribus, & alijs religioſis impeditis, à Prælatis (ipſis etiam non petentibus) præcipiantur. Qui in huiuſmodi exercitijs verſantur, ab omni prorſus officio, & occupatione liberi, noctù, diùque in cælla, vel ſolitario loco, Deo vacantes, commorari debent. Hæc autem ædicula, in quouis Conuentu, vbi commodé fieri poſſit, vna ad minus, ad hunc finem conſtruatur, cum ſecura, & competenti clauſura, ſicut patri Prouinciali fuerit viſum: cuius clauſuræ clauem Prælatus habeat, & ſi non fuerit talis clauſura, nullus ibi religioſus pernoctabit. Qui in propria cælla dictis exercitijs vacant, ſolùm exeant pro Matutinis, Oratione, & Refectorio: qui verò in ſolitaria ædicula commorantur, ad nihil horum cogantur exire.

Bis, diebus ſingulis, manè ſcilicèt, cum vltimò antè horam prandij à Choro diſceditur, & veſperé, completorio finito, poſt Antiphonam: Conceptio tua,

&c. in ipso choro, per octauam horæ partem, conscientias, examine quotidiano, & dolore, humi prostrati, religiosi purgare, emendationisquè iterato proposito, firmare studeant, donec facto signo á Prælato, indè surgere liceat. Qui verò impeditus illic non interfuerit, vbicumquè existat, audito signo, poterit pro eius opportunitate huic vtilissimo examini operam dare.

CAPVT VIII.

De suffragijs mortuorum.

QVotiescumquè ex hac vita aliquis migrauerit fratrum, solemnitèr, ac deuotè sepeliatur;& Commendator, vel Vicarius illius conuentus statim patrem Prouincialem certum facere teneatur, & Commendatores illius prouinciæ,nuntians eis obitus, diem, nomen, officium, patriam, ætatem, tempus, & locum professionis defuncti. Quod si fuerit Monialis, Commendatrix eamdem curam nuntiandi Patri Prouinciali habeat: ac Prouincialis, nulla interposita mora, dictis omnibus circunstantijs, & conditionibus expressis, eius mortem omnibus prælatis suæ prouinciæ denuntiet, vt quam primùm sit possibile, suffragia pro eis ab omnibus offerantur.

Pro quolibet religioso, in conuentu in quo decesserit, fiat officium sepulturæ, vt in nostro Cæremoniali habetur: & prima die vna Vigilia duplex cantetur,

tur, ac etiam per nouem primos dies nouem conuentuales Missæ, cum suis Responsorijs, pro eo dicantur, supra eius sepulturam, vbi commodé potest fieri; supra quam etiam tribus primis diebus crux sit, & pannus supra tumulum nigri coloris, in eoquè nostræ Religionis habitus superpositus, & quilibet Sacerdos illius domus pro eo tres Missas priuatas dicat, quilibet Clericus integrum Officium defunctorum, & quilibet Obedientiæ frater integrum Rossarium. Idem fiat per totum Ordinem pro patre Vicario generali, & pro eius socio, seu Secretario, & à tota prouincia pro patre Prouinciali, & pro Electoribus Vicarij generalis, & Prouincialis ad eorum electionem euntibus, si illorum aliquem in via, vel in Capitulo mori contigerit. Idem fiat pro Visitatore, á domibus visitatis, & ab eis, quas visitare deberet, si in visitatione moriatur.

Item pro quolibet religioso professo, cum decesserit ex hac vita, in quolibet conuentu illius prouinciæ vna Missa conuentualis, cum sua Vigilia duplici, & Responsorio cantetur, & integrum defunctorum Officium illius hebdomadæ, pro eo, sub ritu duplici, recitetur: à quolibet Sacerdote vna Missa priuata dicatur, Clerici autem fratres integrum Officium defunctorũ: fratres verò Obedientiæ, & Donati integrum Rossarium pro eo teneantur offerre. Idem fiat pro Nouitio à fratribus in conuentu, in quo decesserit.

Pro Monialibus verò, quilibet conuentus ex illa prouincia ad vnam Missam cantatam, cum sua Vigilia, &

& Responsorio teneatur. Et pariter Moniales cuiuslibet monasterij nostri Ordinis, pro fratribus decedentibus eiusdem prouinciæ, ad vnam Missam, & vnum defunctorum Nocturnum in communi, cantare teneantur,&vlteriùs vnaquæquè earum vnumNocturnum seorsim dicere sit obligata.

Statuimus insupèr, quòd pro patre, qui functus fuerit officio generalis Vicarij, præter suffragia quæ proquolibet fratre deffuncto in sua prouincia dicuntur, in quolibet totius Ordinis conuentu, tám fratrum, quàm monialium, vna Vigilia, & Missa conuentualis, cum suo Responsorio cantetur; & quilibet Clericus, seu Monialis vnum Nocturnum recitet defunctorum; cæteri autem Obedientiæ fratres, & Donati vnam partem Rossarij. Pro patre verò, qui Prouincialis officio functus est, fiant eadem suffragia, quæ actuali Prouinciali fiunt. Item pro patre & matre cuiuslibet religiosi, in conuentu, vbi ipse vt conuentualis assistit, Missa,& Vigilia cãtetur.In omnibus conuentibus fratres à sæcularibus semoti, siue in sacello maiori,siue inCapitulo,vel Sacristia sepeliantur, ita vt monumenta fratrũm á monumentis sæcularibus discernantur.

Vlteriùs decernimus, quód, audita morte sanctissimi Domini nostri Papæ, in singulis conuentibus nostris exequiæ solemnes fiant; idemquè pro Illustrissimo Ordinis Cardinale Protectore: & pro Rege, ac Regina.

In quouis conuentu in Choro, siue Sacristia tabula

bula apponatur, in qua religioſi omnes intermedio tempore, inter vnum, & alterum prouinciale Capitulum decedentes, ſcribantur, dieſquè aſſignetur, quo ſuffragia conſueta eis fuerunt applicata: idquè patres Prouinciales ſedulè inquirant, tempore viſitationis, teneanturquè prædictam tabulam inſpicere, & an, ſcilicét, defunctorum officia fuerint integré perſoluta, ex ea colligere.

Statuimus etiam, vt qualibét feria ſecunda (dummodò feſtum non occurrat, quód à populo ſeruetur; quia tunc ſequenti die, ſimiliter non impedita, & non vltra) poſt Primam cantetur Miſſa defunctorum, qua finita, fiat proceſſio, vt in Cæremoniali continetur. At, vbi proceſſio commodé fieri non valet, tria Reſponſoria cantentur in choro; prædicta tamèn Miſſa nunquàm omittatur.

A feſto ſancti Dionyſij, vſquè ad Aduentum Domini, pro Anniuerſario fratrum Familiarium, receptorum per literas fraternitatis ad beneficia Ordinis, Clericus frater integrum Officium defunctorum: fratres Obedientiæ integrum Roſſarium dicant: quilibet conuentus Nocturnum, & Miſſam ſolemnitér cantet: & hoc ipſum à fratribus, & conuentu pro quolibet Anniuerſario dicatur.

Quilibet Sacerdos duodecim Miſſas in anno celebret pro defunctis fratribus: quilibet Clericus, ſeptem Pſalmos Pœnitentiales duodeciès: & quilibet fratrer Obedientiæ, integrum Roſſarium duodeciés recitet.

Anni-

Anniuerſarium Patrum, & Matrum religioſorum, tertia die poſt Purificationem Beatæ Mariæ. Anniuerſarium fratrum, ſequenti die poſt feſtum ſancti Dionyſij. Anniuerſarium Benefactorum, & Familiarium, ſequenti die poſt octauam ſancti Auguſtini fiat. Anniuerſarium ſepultorum in Eccleſijs, aut cæmeterijs noſtris, vbiqué fiat prima die poſt octauam Apoſtolorum Petri, & Pauli. Anniuerſarium deniquè Captiuorum Chriſtianorum ſit tertio Nouembris die. Hunc ergo Miſſarum numerum, & mortuorum ſuffragia fratres noſtri minimè prætermittant.

In qualibet præthereà hebdomada Officium defunctorum) Veſperæ, ſcilicèt, & vnum Nocturnum, cum Laudibus) dicatur, & diſtribuatur hoc modo. Poſt Veſperas Dominicæ, immediaté dicantur Veſperæ defunctorum (exceptis diebus octauarum Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Corporis Chriſti, Beatæ Virginis Mariæ, & toto tempore Paſchali) & feria ſecunda, immediatè poſt Primam, vel poſt Nonam, vel ſicut opportuniùs iudicauerit Commendator, recitetur vnum Nocturnum, cum Laudibus.

Ordinamus prætereá, quod prouincia Conceptionis, & ſancti Ioſephi in defunctorum ſuffragijs ita ſint ſororiatæ, ac ſi vna prouincia eſſet: ita vt pro defunctis fratribus prouinciæ ſancti Ioſephi, in prouincia Conceptionis eadem perſoluantur ſuffragia, ac ſi eſſent fratres illius prouinciæ: & pro defunctis fratribus prouinciæ Conceptionis, eadem etiam in prouincia ſancti Ioſephi ſuffragia rependantur

CA-

CAPVT IX.

De horis fratrum Obedientiæ.

EOdem tempore, tàm Horarúm Canonicarum, quam Orationis mentalis, ſurgant Obedientiæ fratres, eiſdemquè vtantur inclinationibus cum alijs. Cùm ad Matutinas ſurrexerint, dicant: Pater noſter, Aue Maria, & Credo, quod etiam ante Primam, & poſt Completorium fiat. Deindé pro Matutinis dicant. Verſ. Domine labia mea aperies. Reſ. Et os meum annuntiabit laudem tuam. Verſ. Deus in adiutorium, &c. Gloria Patri, &c. Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ, vel Alleluia, prò tempore: & viginti Pater noſter, & totidem Aue Maria. Poſtea Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon, Pater noſter, &c. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, &c. Verſ. Benedicamus Domino. Deo gratias. Eodem modo ſex alias horas incipiant, & finiant, excepto Credo, & Verſ. Domine labia mea aperies, & Reſp. Et os meum, &c. quod tantùm in Matutinis dicitur. Inſuper pro Veſperis, decem Pater noſter, & totidem Aue Maria; & pro qualibet alia hora ſeptem Pater noſter, & totidem Aue Maria dicant. In fine verò Completorij, Antiphonam addant: Salue Regina. Pro Miſſa, dùm celebratur, tertiam partem Roſarij Beatæ Virginis in Choro recitent, vel vbi extiterint, pro temporis opportunitate. Miſſam quo-

tidié audire non omittant. In ieiunijs, culparum expiatione, & confessione, abstinentijs, disciplinis, & mortificationibus sic se habeant, ac cæteri fratres: in labore tamen poterit ex causa Commendator cum eis dispensare. Aduertendum est tamen, quando labor, vel occupatio est magna, dum tamen ipsi assistant Orationi mentali Matutinæ, & tertiam partem recitent Rossarij sanctissimæ Virginis Mariæ, pro omnibus Horis Canonicis satisfaciant. Curent tamen Prælati, quantum possibile fuerit, quod talitér eorum occupatio disponatur, quod vtramquè horam Orationis mentalis, confessiones, ac communiones consuetas minimé prætermittant.

CAPVT X.

De disciplinis.

POstquam de his, quæ in ordine ad Deum conueniunt omnibus, sermo noster euaserit: de his, quæ in ordine ad nos spectant, agere incipiamus. Et sanè maximoperé conuenit, vt religiosi eas præcipué appetitiones, quæ sensui, carniqué lænocinantur, edomare studeant. Et ideó, cum sub Christi vexilo, ad Religionē, vt ad palæstram spiritualem venerint, contra carnem, ac dæmonem pugnaturi; præter ieiunia, & communes abstinentias, quæ in conuentu fiunt, maximé eos deceat disciplinis, & orationibus exerceri: vt his armis assueti, & carnem, omnesqué aduersantes sensualitatis motus

in

in seruitutem redigant, iuxta Apostolum. 1. ad Corinth. 9. dicentem: Castigo corpus meum, &c. Statuimus, vt omni tempore (exceptis diebus octauarum Natiuitatis Domini, à Vigilia, scilicèt, Natiuitatis inclusiuè, vsqué ad Epiphaniam nec non diebus octauarum Resurrectionis, Pentecostés, & Corporis Christi, & diebus Conceptionis, Natiuitatis, Purificationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ: Natalis Sancti Ioannis Baptistæ; omnium Apostolorum: Patris NostriSancti Petri Nolaschi, festo etiam cuiuslibét alterius Sancti Ordinis nostri, vel Titulari, & festo omnium Sanctorum) alternatis diebus, feria, scilicèt, secunda, quarta, & sexta, communem disciplinam, siue flagellationem, post Completorium in hyeme, & post pulsationem ad salutationem Angelicam in vere, quæ tamdiù duret, quamdiù cantetur Psalmus: Miserere mei Deus, &c. Cantetur, & Antiphona: Christus factus est pro nobis, &c. cum his orationibus; Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, &c. Domine Iesu Christe, qui de cœlis ad terram, &c. Vre igne sancti Spiritus, &c. Famulorum tuorum, quæsumus Domine, &c. Et famulos tuos Papam, &c. Tribus autem diebus maioris hebdomadæ, scilicèt, feria quarta, quinta, & sexta, dictus Psalmus ter cantetur, cum sola oratione: Respice, quæsumus Domine, vt dicitur in Breuiario Romano.

CAPVT XI.

De Silentio.

SIlentium præstent semper fratres nostri in Ecclesia, choro, sacristia, dormitorio, refectorio (tàm in secunda mensa, quam in prima) & claustro; ita vt omnis strepitus, & verborum clamor vitetur penitùs; sed modestè, & summissa voce fratres nostri, cum opus fuerit, loquantur: nec vnquàm seorsim in claustris, vel cum sæcularibus, non nisi raró deambulent, aut conuersentur; sed ad alia honesta, & ad id deputata loca, quæ in omnibus conuentibus construi debent, recedant. Præter hoc autem Silentium omni tempore obligans, strictiùs aliud ab hora octaua in hyeme, alio verò tempore ab hora nona post cœnam, vel collationem, ab omnibus seruandum est, ad illudquè refectorij cymbalum pulsetur, vt in Cæremoniali dicitur, & post factum signum tabellis, meditatio aliqua deuota, ac breuis, vt diuina nobis semper sint præsentia, denutietur.

Studeant diligentissimé Prælati omnes, tàm superiores, quám inferiores, in huius regulæ perutilis, ac valdè necessariæ obseruantiam vigilare, vt tám in cællis suis, quàm in tota commuinitate, eam frangi minimé permittant. Caueant strictissimam rationem, quàm infallibilitèr reddent in diuino iudicio, si prætextu necessitatis, vel (quod procùl absit) authoritatis,

tatis, aut cuiuſlibet alterius reſpectus, in cællis proprijs tunc temporis confabulationes admittant, ſubditiſqué exemplo ſuo occaſio ſint, hanc ſanctiſſimam conſuetudinem ſpernendi, vel ſcandalum, ſi ab ipſis contemnitur, in quibus maior obligatio viget. Talitér ergó negotia domus, & officij diſponant, quod non niſi raró ſilentij tempore, ea videlicet, quæ minimè anteponi, nec differri poſſunt, ab ipſis tractentur. Poſt ſignum veró ſilentij factum, vt omnis ſtrepitus vitetur, nullus ſoccis incedat, ſed vtatur ſandalijs. Hortamur deinde, cum Apoſtolo, ad Roman. 12. vt fratres ſe inuicem honore præueniant: ita tamen, vt omninò ſæculi vrbanitates, ſæculariumqué loquèndi modus, tàm in ſalutationibus, quàm in Epiſtolis, ac cæteris colloquijs cum fratribus, vel cum extraneis procùl arceantur. Si quis alteri conuitioſé, ac minus reuerentèr loquatur, puniatur ſeuerè pro qualitate culpæ. Nemo alterùm noſtri Ordinis religioſum Paternitatis titulo, nec Doctoris, aut Magiſtri, nec Reuerendiſſimi, ipſum etiam patrem Vicarium generalem, aut alterius honorifici cognominis, vocet: ſed indiſtinctè, Sacerdotes omnes, reuerentiæ nomine; non Sacerdotes, charitatis titulo, ſub pœna panis, & aquæ per vnum diem, ſe inuicem appellent. Beneuolentiæ veró atque debitæ ſubmiſſionis cauſa, Prælatos tantùm, & non alios, ſeruata proportione, patrem, ſcilicét, Vicarium generalem, necnon eius prædeceſſores, & Prouincialem in ſua prouincia, religioſi Patrem noſtrum nominabunt.

CA-

CAPVT XII.

De Clausura, & modo exeundi.

CVm Clausara sit maximé necessaria, vt prefectio, & virtus animæ conseruetur; statuimus, vt nullo tempore liceat é cælla absquè necessitate egredi, præcipuè veró tempòre silentij strictioris, in cællas se recipiant (nisi ratione deuotionis in choro manere quis velit) é quibus nisi ad necessaria naturæ, aut sine superioris consensu, non exeant.

Nemo alterius (præter quàm Prælati, aut alicuius Secretarij) ingrediatur cællam, sine licentia expræssa Prælati. Quo si si quis noctè alicuius cællam intrauerit, pro prima vice super terram in pane, & aqua ieiunet. Pro secunda, quatuor in cælla recludatur diebus: quod si ampliùs deliquerit, grauiori mulctetur pœna: qui veró alio tempòre cællas intrauerit, super terram comedat. Extrahens autém aliquid ab alterius cælla, præcipuè exceptorios codices, pro qualitate delicti seueré puniatur. Et si alicubi circa ingressum cællarum fuerit nimius deffectus, Commendator, vel Prouincialis id formali præcepto, & maiori pœna prohibeat. Quod vt perfectiùs obseruetur, strictè prohibemus, & Prælatorum omnium conscientias oneramus, ne vnquàm in aliquo conuentu assignent, aut habitare permittant plures fratres, quàm pro cællis ibi existentibus, neque vnquàm

quàm duo in vna commorentur cælla, niſi magna vrgeat neceſſitas, in conuentibus ſcilicét, nondum factis. Nunquàm vltrà numerum ſex fratrum inter omnes è domo egredi poſſint, niſi à Diffinitorio, patre Vicario generali, vel Prouinciali, cum aliquo conuentu, ob hoſpitum, aut negotiorum frequentiam, fuerit diſpenſatum. Prædicatoribus verò, tantùm ad prædicandum, & Confeſſoribus, dumtaxàt ad confeſſiones audiendas, & non alterius rei cauſa, præter numeratos exire permittimus. Prælato veró ad oppidum egrediente, qui eius loco præeſt, nullatenùs poſſit exire.

Stauimus præterà, ne fratres ad ſepeliendos mortuos egrediantur, nequé ad alia pro mortuis officia, ſiuè Reſponſoria perſoluenda, niſi pro Regibus, Epiſcopis diœceſanis, pro Patronis conuentuum noſtrorum, & pro Prælatis, aut alijs grauibus viris ex regularibus, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio Prælatis. Excipimus ab hac conſtitutione conuentus, qui in oppidis exiguis morantur, & illos qui apud Italos ſunt, pro locorum conſuetudine. Ordinamus etiam, ne mulieres, ratione proceſſionis, ſiué alio titulo, noſtra ingredi clauſtra permittantur, fiatquè omnis inter nos proceſſio, ſolùm per noſtras Eccleſias, aut earum atria, vel per clauſtra: extra ea veró minimé egrediatur: quæ omnia, & ſingula, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per duos menſes prohibemus. Cum fratres in communi exeunt, omnes ſimùl, & bini ſuo ordine, & ſubordinatione conſueta procedant:

nec

nec permittatur aliquis à communitatis consortio separari. Cùm veró ad aliqua in Ordine præmissa egrediuntur, nouissimum, humilioremquè locum inter cæteras Religiones; quæ choro deputantur, eligant.

Nullus absqué socio (nisi per patrem Vicarium generalem, aut Prouincialem fuerit dispensatum) in suam patriam mittatur,nisi aliàs in ea monasterium Ordinis sit, sub pœna priuationis vocis, tam actiuæ, quam passiuæ per vnum mensem eunti, & mittenti. Omnes veró religiosi, siué conuentuales sint, siué hospites, tám exeuntes à conuentu, quàm redeuntes, genibus flexis, indutiqué adhùc pallio, benedictionem à Prælato domus accipiant, & corám Sacrario, sanctissimaqué Eucharistia, breuiter in exitu, & in reditu orent: redeantqué hora competenti, mané, scilicét, ante meridiem; vesperé autém ante pulsationem ad salutationem Angelicam. Studeant Prælati, ne religiosi extreaneorum, etiam consanguineorum, negotijs occupentur; ne exterioribus rebus implicati, ea, quæ professionis suæ sunt, obliuioni tradant; quare nullus sæcularium negotia, sine superiorum licentia, & maturo consilio, procuret.

In socijs assignandis Prælati circunspecti sint, & cauti: nullusquè designatum socium, sub pœna graui, non admittere audeat, vel alium importunè postulet, aut procuret: eo enim ipso illi denegetur, nisi causam aliquam proponat, quæ Prælato rationabilis, & à suspicione libera videatur.

In

In oppidis item vbi conuentum habemus, cùm fratres ad iter agendum exeunt, vel cùm redeunt, sæcularium domos, absqué expressâ licentia, non intrent, sub pœna carceris per decem dies. Tempore veró Capituli generalis, aut prouincialis, fratres extra suos conuentus non egrediantur, nisi ad ea peragenda, quæ minimé possunt differri.

Potissimùm tamen Prælati omnes elaborare debent, in monasterijs ita stabiles permanere, vt cæteri omnes, eorum exemplo, in claustris libentér commorentur. Visitent præteréa singulis noctibus monasterij clausuram per se, vel Vicarium: clauesqué diligenti, ac magna cura custodiant, ne tantum malum aliquando eueniat, vt quis, absqué Prælati licentia; clausuram egredi tentet; quam diligentiam non solum Commendator, sed etiam Vicarius, & quilibet alius Prælatus in conuentu existens, adhibere curet.

C A P V T XIII.

De Ieiunijs.

ET si á Pascha, vsque ad festum omnium Sanctorum, & á die Natalis Domini, vsqué ad Septuagesimam, bis in die reficiantur fratres, vt dicemus capite subsequenti: excipiuntur tamen tres dies Rogationum, cum omnibus sextis ferijs, Sabbatis, Vigilijs omnium festiuitatum beatissimæ Virginis Ma-

riæ Dominæ, ac Patronæ nostræ (excepto festo Niuium) & Vigiliæ Pentecostés, Corporis Christi, & omnia alia ieiunia, quæ in Ecclesia communitèr, vel specialitèr in diœcesi, obseruari consuescunt. Item à feria secunda post festum omnium Sanctorum, vel si dictum festum feria secunda euenerit, à sequenti die, vsqué ad Natale Domini, exclusiué; & à feria secunda post Septuagesimam, vsqué ad Pascha Resurrectionis, exclusiuè continuum seruetur ieiunium, Dominicis diebus exceptis. In Quadragesima, Vigilijs, Quatuor temporibus, & ieiunijs per sedem Apostolicam, & diœcesum statuta, aut consuetudines indictis, eo cibo vtamur, quo in eis temporibus vniuersalis Ecclesia vti consueuit. Et si in feria sexta, vel Sabbato festum venerit Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, vel Assumptionis, Natiuitatis, & Purificationis Beatæ Mariæ, vel sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, sancti Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ, sancti Stephani, & omnium Sanctorum; in ieiunio Prælatus poterit dispensare. Iter tamen facientes, bis refici possunt cibis quadragesimalibus, sextis ferijs, & Sabbatis. Tandem per totum diem in pane, & aqua omnes vbiqué abstineant in die Veneris sancti. Tempore ieiunij, hora competenti, scilicèt post Completorium, Refectorarius ad collationem cymbalum pulset, & postquam fratres conuenientes, Psalmum, De profundis, dixerint: sicut supra, & refectorium ingressi, in suis proprijs locis vnusquisqué sedeat. Lector vnam vel alteram pausam

legat poſteaquè, ſigno facto à Prælato, vel Preſidente, dicat: Benedicite. Et Hebdomadarius benedicat, dicens: Largitor omnium bonorum benedicat potum ſeruorum ſuorum. Et conuentus reſpondeat: Amen. Finita collatione, & facto iterùm ſigno, Lector dicat: Tu autem Domine, &c. Surgentibus omnibus ante menſas, Prælatus dicat: Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Et conuentus reſpondeat: Qui fecit cœlum, & terram. Et dicto Pater noſter ſecreto, omnes diſcedant. Ad prandium, & cœnam duo ſigna fiant; ad collationem vnum tantùm.

Præterea collatio, tàm in Eccleſiæ ieiunijs, quàm Ordinis, ita fiat, vt nunquam excedatur modus, & menſura ieiunij, nequé aliquid pro collatione miniſtretur in ieiunijs Ordinis, quod in ieiunijs Eccleſiæ non licéret.

CAPVT XIV.

De Cibo.

HOra competenti ante prandium vel cœnam, Refectorarius primum pulſet ſignum, ſi cibus eſt paratus: quo audito, fratres ad locum ante refectorium deſtinatum venire non morentur, & tùnc pulſetur ſecundum ſignum: & anuente Prælato, Cantor ex parte hebdomadæ incipiat Pſalmum: De profundis; qui, modo conſueto, ab vtroquè choro alter-

natim dicatur, finiaturquè per Requiem æternam: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Et ne nos, &c. A porta inferi, &c. Dominus vobiscum. Oremus. Deus, veniæ largitor, & humanæ salutis; &c. Qua finita, Commendator cymbalum refectorij pulset, dùm ingrediuntur fratres, & post, manu supra mensam signum faciat: Hebdomadariusquè, dicat: Benedicite. Cæteri omnes benedictionem prosequantur, vt in Breuiario. Data benedictione, Lector pulpitum conscendat, leganda paret, ac legere incipiat, vt in Ceremoniali dicitur; cæteri veró fratres, seruato ordine antiquitatis, ad mensam modestè sedeant.

Prima mensa iam incepta, nullus, nisi petita licentia, & obtenta, ingrediatur; tunc ingressus, & in medio refectorij prostratus, expectet Prælati signum, & post factum, surgat, & ad mensam sedeat. Si quis, deuotionis spiritu mortificationem aliquam facere velit, surgat á mensa, & ad Prælati pedes genuflexus, mortificationē petat, vel tacens expectet, quam Prælatus indicare voluerit, eamqué faciat; & illa opere completa; humi prostretur donec signum fiat á Prælato, vt surgat, & ad suum locum redeat. Vel si iam à mensa surrexerit, Commendatoris scapularium deosculare non tardet. Quod si nullus Prælatus refectorio, vel choro inter fuerit frater antiquior signum faciat, ab eoquè licentiæ, & mortificationes petantur.

A Pascha, vsqué ad festum omnium Sanctorum inclu-

inclusiuè, & á dia Natalis Domini, vsquè ad Septuagesimam inclusiué, bis in die reficiantur fratres, diebus ieiuniorum exceptis. Et his temporibus ter tantùm in hebdomada carnibus vtantur, scilicèt, Dominicis diebus, & tertijs, & quintis ferijs, & in festò Natalis Dómini, quocumquè die occurrat. Extra claustrum eum cibum sumamus, qui fuerit nobis appositus, ob vitandam molestiam eorum, apud quos diuersamur. Alijs diebus, nempè ferijs secundis, quartis, sextis, & Sabbatis, & alijs Ordinis ieiunijs, pisces, oua, caseum, & legumina comedere possumus. Nunquam mappæ (quæ vulgò, Manteles dicuntur) refectorij mensis superponantur, sed vnusquisqué frater vnam tantùm mappulam, cum vrceo, vase, cultelo seu gladio, & cochleari habeat. In medio principalis mensæ sit catinus cinere plenus, & supra cinerem, cranium seu caluaria, in memoriam pulueris, ex quo primùm plasmati sumus, & in quem post mortem iterùm resoluemur. E regione itém mensæ principalis, ad quam Prælatus sedet, Crux quædam, cum spinarum corona, duobus funibus, duabusquè linguæ castraturis, ad mortificationes faciendas, apponatur. Postquam à mensa surrexerint, factò signo à Prælato, Hebdomadarius incipiat gratias agere, conuentusquè prosequatur, vt in Breuiario, & Cæremoniali habetur.

Nulli fratrum, vbi conuentus fuerit, liceat extra illum comedere, nisi de licentia Prælati, quam rarissimè, & nunquám sine socio concedat.

Hora

Hora prandij, in ieiunijs Ordinis, sit vndecima ante meridiem; in ieiunijs Ecclesiæ, dimidia etiam hora supra vndecimam differatur: cæna autem, siuè collatio omni tempore fiat post Completorium. In diebus, quibus non ieiunatur, prandium sit hora decima in vere, & hara vndecima in hyeme, nisi in diebus solemnibus, & festiuis, in quibus arbitrio Prælati, inspecta loci opportunitate, aptiori tempori relinquetur. Omnes fratres non legitime impediti ad primam mensam ire teneantur, præter seruitores, & custodes; & licentiam Prælati habentes. Quotquot autem primæ mensæ non interfuerint, in secunda mensa comedant, ita vt tertiam facere non liceat. Extranei verò, maximè sæculares, raro, & cautè ad refectorium admittantur. In communi mensa sacra lectio adhibeatur, vt in Regula precipitur ab Augustino, ne solæ fauces sumant cibum, sed, & aures esuriant verbum Dei; ne solus homo exterior, more bruti, pascatur, & interior ieiunus sit. Quaré præcipimus, vt in prandio, post lectionem aliquam Sacræ scripturæ, aliquid ex deuotis, & spiritualibus libris perlegatur, & singulis sextis ferijs Regula diui Augustini recitetur. In cœna autem, siue collatione, post aliquam partem harum Constitutionum, alicuius Sancti vita legatur. Per totum comestionis tempus, etiam in solemnioribus diebus, lectio absqué relaxatione continuetur. Extra refectorium minimæ refectio communis fiat, nec vllus extrà communem mensam, nisi legitimè impeditus, aut de licentia Prælati,

lati, non nisi ex rationabili causa concessa, edere, aut bibere possit; & multo minùs consuetudinem circa hoc facere. Nec Prælatis superioribus liceat, nisi infirmitatis causa, vel quoties extraordinarijs occupationibus impediti, primæ, nec secundæ mensæ interesse potuerunt, propria cælla collationem facere: cænare rarissimè, comedere circá meridiem, nunquam. In refectório autem, tam in prima, quám in secunda mensa æqualia fercula, & condimenta quoad numerum, qualitatem, & quantitatem omnibus, tám Prælatis, quàm subditis ministrentur: nec aliquid diuersum quoad substantiam, vel modum alicui, nisi infirmo, aut ex aliqua rationabili Prælati dispensatione, conferatur. Prohibemus itèm omnibus Prælatis, ne extra communis refectionis horam, aliquid edendum, recreationis causa, communitati præbeant, nisi in festo Natalis Domini, in quocumquè die occurrat, & tribus diebus sequentibus, & in diebus Resurrectionis, ac Pentecostés cum duobus sequentibus, & in die Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, & Corporis Christi; in festis etiam solemnioribus Beatæ Virginis scilicèt, Conceptionis, Natiuiatis, & Assumptionis: in festis omnium Sanctorum, Apostolorum Petri, & Pauli, sancti Ioannis Baptistæ, sancti Iacobi, sancti Laurentij, Patris nostri Sancti Petri Nolaschi, vel cuiuslibet alterius Ordinis nostri: in festo item Titularis, vel fundationis alicuius conuentus nostri, necnon in die Habitus, Professionis, aut Missæ nouæ re-

religiosorum nostrorum, & in alijs diebus quibus aliquod edulium fortuitó, extra horam prandij, foris aduenerit. Hoc autem est intelligendum extra diem Veneris, aut Sabbati, aut alios ieiunij dies. Hortamur prætereà tam Prælatos, quam subditos, vt mortificationes ab initio Recollectionis nostræ in refectorijs, tam ordinarias, quam extraordinarias, frequentari studeant. Maximé veró Prælati in hoc, sicut in alijs, se cæteris exemplum præbeant. Religiosis nostris extraordinarias mortificationes publicè licebit aliquandò facere; rarissimè tamèn, & cum matura Prælati consideratione, & consilio patrum antiquorum. In solemnioribus festiuitatibus celebrandis; frugalitas religiosa seruetur, omninoquè, quantum fieri possit, sæculares in ijs diebus in refectorijs nostris minimè permittantur. Circa communem refectionem, & præcipué circa eius quantitatem, vniformitas possibilis in totius Ordinis, & omnium prouinciarum conuentibus, omni tempore seruetur, nequé Prælati, quantum ad hoc, aliquam varietatem, aut nouitatem permittant.

CAPVT XV.

De honesta animi recreatione post prandium.

SAnctorum exemplis, & quotidiana experientia edocemur, ad regularem disciplinam tuendam non obesse, sed prodesse, honestam fratribus, virtuti-

tiquè non diſſonam recreationem concedi: vt ſic ab aſſiduitate contemplationis, arctioriſquè obſeruantiæ, animum, corporiſquè vires reficiant, & ad labores, & exercitia debita, ſtrenuè, ac viriliter iterum, redeant. Quapropter poſt prandium, gratiarum actione peracta, per dimidiam horam (præterquam in hebdomada ſancta) fratres omnes alicubi, conueniant, ibiquè honeſtis colloquijs in Deo delectentur. Poſt cœnam autem, verno tempore, dimidia alia aſſignetur recreationis hora, proùt opportuniùs viſum fuerit Prælatis, quia non in omnibus domibus eadem poterit aſſignari hora. His recreationibus, nec extranei, nec nouitij, & profeſſi, qui ſub Magiſtri diſciplina ſunt, interſint: ſed ſeparati ab alijs conueniant, & recreentur; niſi aliquandò Superior aliter fieri ordinauerit, vel in ſolemnitatibus Paſchalibus, in quibus poſt cænam, & per vnam horam omnes conueniant.

Oportet autem religioſorum confabulationes ſpirituales, aut honeſtas eſſe; ideoquè Prælati murmuratoria, detractoria, ſcurrilia, aut dicacia verba, non ſolum prohibeant, ſed ſeuerè, & irremiſſibilitèr puniant. Quidquid item ſtatui noſtro alienum, aut minùs decens eſt, in communi non permittatur: confabulationes, ſcilicèt, de genealogijs, de genere, de patrijs, de factionibus, de communitatibus, & alijs ſimilibus, quæ animo, nec recreationem, nec quietem pariunt. Summoquè ſtudio contentiones abigant, quæſtioneſvè, etſi de rebus honeſtis: ſubſ-

tantia enim bona, praua circumstantia vitiatur. Multo magis ludi arceantur manuum. Vt omnia humilitèr, honestè, sincerèqué tractentur, grauitate religiosa, cæterisquè circumstantijs status, temporis, loci, & personarum seruatis; alijs loquentibus, cæteri taceant, vt omnis confusio vitetur, & inurbanitas religiosa. Quæ omnia, vt rectiús exequantur, curent Prælati semper recreationibus interesse.

Totus conventus, remissionis, gratia, nunquam possit per integrum diem extra domum exire, sed maneant semper qui officia communitatis sufficientèr possint persoluère. Reliqui autem otij causa exeuntes, nullibi pernoctabunt, nisi in grangijs nostris, aut prædijs: in quo Prælati maxima cum prudentia, & cautione, attentis personarum qualitatibus, & moribus, procedant.

Tandem in solemnitatibus Paschalibus, aut similibus, minimé histrionicæ repræsentationes prophanæ, aut inhonestæ, fiant, nec religiosi habitum suum proprium deserant, tantumquè habitu aliquo alio prophano superinduti sint. Repræsentationes verò nimis præuentæ, aut meditatæ penitús auferantur, sub pœna priuationis ab officio Prælatis quidquam horum permittentibus, & sub pœna grauis culpæ facientibus.

CA-

CAPVT XVI.

De Veſtitu.

HAbitus noſter eius ſit conditionis, vt corporis nuditatem decentér operire valeat; dicente Apoſtolo: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Sint igitur veſtimenta noſtra lanea, in omnibus eiuſdem formæ, ex rudiori ſargia albi coloris confecta (Hiſpanè, Sayal, vel Xerga) Tunica ſuperior ſit ſtricta, latitudinem duodecim palmorum in inferiori parte per circuitum habens: & ad ſummum, ſi magnitudo corporis, id petierit, quatuordecim non excedat. A terra duobus digitis ad minús, diſtet. Eiuſquè manicæ ſint ſtrictæ; & verſús manum vnius palmi latitudinem tantum habeant. Eademquè menſura in interiori tunica ſeruetur. Globuli (Hiſpané, Botones)niſi ex rudi lana,vel ſargia in veſtibus non permittantur.Scapulare ſit eiuſdem ſargiæ,dimidio palmo à terra diſtans, ſecundúm longitudinem, & verſús latitudinem, vnius palmi, & dimidij menſuram non excedens.Scutum Ordinis laneum ſit, non curioſum, quod portetur in pallio. Hoc autem ex eadem ſargia ſit abſquè aliqua plicatura, duobus palmis á terra diſtans. Caputium etiam eiuſdem materiæ ſit, ſtrictum, & anguſtum, ita vt á tergò altiús duobus digitis á zona diſtet. Zona ſit corij nigri, latitudinem duorum digitorum habens, quæ tantúm rudi-

fibula ossea, vel ferrea stringatur. Subscapulari, & super pectus Crux lignea tantum portetur, vel cum imagine Christi crucifixi, vel sine illa.

Tunica media inter inferiorem, vel superiorem, vel quoduis aliud vestimemtum eam comitans, aut vicem illius gerens, ex eádem sargia sit, aut alia humili materia; Hispané, Frisa, vel ex alia huiusmodi. Hæc tunica, superiori paulò strictior sit, ac breuior, tam in manicis, quam in inferiori parte, eádemquè altior ad minus tribus digitis. Brachialia non sint in vsu, præter illa, quæ fuerint tunicæ inter mediæ affixa, quæ tantúm vsqué ad cubitum extendi liceat, vel si vsqué ad manus illa accedere libuerit, quatuor, vel quinque digitis manus non pertingant. Interiores tunicæ sint ex stamenia lanea, & alba, absquè mixtura linea, longitudine genua complicantes, breuioresqué alijs vestimentis: manicas habeant competenter apertas, vt fratres ad disciplinas recipiendas possint se apté disponere. Fœmoralia linea, aut lanea sempér portentur, nec vltrà quatuor digitos, infrà genua se extendant. Ad emungendas etiam nares, linteaminibus tantum laneis vtantur. Quod si quis vestimentis alijs, aut aliter factis induatur, graui pœna, secum sum culpæ grauitatem, puniatur: simulque punitus, eisdem vestibus expolietur. Prælati autem, & Visitatores, hanc vestimentorum formam inuiolatam, & inuariatam obseruare faciant. Infirmis, & debilioribus, Commendatores interiores alias vestes concedere possunt, dùm tamén sint religiosæ, & honestæ

nestæ. Caueant autem infirmi, propter aliorum ædificationem, ne vestimenta linea eis concessa exteriùs appareant. Nemo autem, sub pœna grauioris culpæ, huiusmodi rebus lineis vtatur, nisi cum Prælati expressa licentia, infirmitatis, vel necessitatis causa supposita.

Eiusdem qualitatis, & materiæ vestibus vtantur tàm fratres Obedientiæ, quàm Clerici choro deputati, tàm nouitij, quàm professi: Donati etiam, excepto caputio, & quod tunica superior dimidio pede, aut sexta parte vlnæ in Castella vsuatæ, à terra distet: scapulare etiam, & pallium aliquantulum breuiora sint.

Præterea, omnibus itinerantibus galerus albi coloris concedatur. Habeatque quilibet conuentus personam aliquam honestam ad omnium religiosorum vestimenta lauanda: nec alicui alteri in particulari permittatur suas vestes tradere, nisi ei, cui totus conuentus in communi tradit, & ad lauandum toti communitati designauit.

Fratres nostri omni tempore discalceati incedant, sandalijs tamen vtantur ex cannabo, vel sparto confectis, aut ligno (vulgaritèr, choclos) superpositis corrigijs, calceamenta fiant: ita vt in anteriori, & posteriori parte pedis nuditas appareat, seruetur què in eis forma, & materia, quæ communi vsu, & consuetudine recepta est.

Caligas in cruribus portare possint, sed ita dispositas, vt talos non transgrediantur, & omninó nudi-

 tas

tas totius pedis appareat. Pedalia veró tegumenta (quæ vulgó dicuntur, Escarpines) tantùm infirmitatis causa, & non sine Commendatoris facultate, portentur; maturiùs tamen examinetur causa, vt cum eis è conuentu ad oppidum egrediantur; & si fuerit perpetua, aut diuturna, consulatur pater Prouincialis, & sine eius licentia, nequaquam fiat. Poterit tamen quisqué itinerans eis, absqué facultate, vti.

Nunquam dormiant nudi fratres, sed cum tunica superiori, vel media; scapulario, & præcincti iaceant. Scapularium tunc temporis sit diuersum à communi, vnius tantum palmi longitudinem, & latitudinem habens. Pro lectulis vtantur tabulis, & quilibet lectulus sit in latitudine quatuor, vel quinque palmos habens, & octo, vel nouem in longitudine. Lodicibus etiam laneis, aut alijs coopperturis pauperum proprijs, vtantur, sine pictura, aut curiositate aliqua. Pelles item addi possunt, in terris præcipué, vbi magis frigus vrget, vel humiditas, & in personis debelioribus. Culcitrarum autém vsus, aut linteaminum (nisi necessitas instet, infirmitas, aut itineris labor, à quo requiescere necessum sit) omninó prohibeatur. Puluinaria etiam lanea omnibus tribuantur.

Non decet monachum, vnquam sine habitu esse, & multó minùs, quòd mors eum sic ex improuiso inueniret: quapropter statuimus, vt nec in somno, nec in vigilia, quis in cælla reclusus, absque habitu sit. Si quis valens sic inueniatur, reprehenda-

tur

tur pro prima vice; pro ſecunda grauiùs corrigatur. Infirmi autem ſaltem cum ſcapulario palmo minori dormiant.

CAPVT XVII.

De Prælatorum circa communem vſum, & epiſtolas prouidentia,

QVia communis vita fundamentum eſt paupertatis, & vinculum regularis obſeruantiæ, Prælatis omnibus ſeueré, arctequé præcipimus, ne ſubditis ſuis quidquam denegare audeant; ex his præcipuè, quæ ad victum, veſtitum, libros, medicinas, aut quodcumquè aliud neceſſarium, ſeù ad vitam noſtram ſpectans: quinpotiús, vt veri paſtores, ſi quid eis deſit, etſi non petatur, ſedulé inquirant, & de omnibus ſufficienter, ac diligenter, ſecundum noſtræ paupertatis ſtatum, prouidere non differant.

Ita tamen rerum vſum Superiores inferioribus tribuant, aut permittant, vt eorum ſuppellex, ſiué vtenſilia, tám in victu, quàm in veſtitu, tenuitatem, paupertatem, vnitatem, & aſperitatem præſeferant, vt ſic á filijs diſcernantur ſæculi. Specialitèrque interdicimus, quæ aureo, argenteo, vel ſimili ornatu afficiuntur, etiam ſi in parua quantitate ſit, vel pro imaginibus, aut reliquijs Sanctorum decentèr includendis, id fieri dicatur.

In cællis quidquid ſuperfluum, aut curioſum eſt, abdicetur, tantumqué vna Crux ex ligno confectá; ſine

ſine curioſitate vlla, & duæ, vel tres concedantur imagines in papiro, & non niſi nigro dumtaxàt expreſſæ colore. Menſas prætereà, ſediliaqué viliora, & ſimplicia ad vſum habeant,& ſupra menſam cranium, ſeu caluariam aliquam. Cællam verò, quàmtumuis humilem, nemini liceat quaſi propriam habere, ſed ſemper eam indifferentér, & reſignaté, ad nutum Prælati, habitet: nullaquè ſit clauis, niſi in qua reſidet Prælatus,pro communi depoſito cuſtodiendo, & in communibus officinis. Quæ quidem pro libris, veſtibus, & alijs ad victum pertinentibus, in qualibet domo fiant: eiſqué deputentur proprij cuſtodes: ex illiſquè omnia, tàm tempore ſalutis, quàm infirmitatis, tàm in conuentu, quàm in itinere, tàm religioſis omnibus, quàm Donatis, inſpectis eorum neceſſitatibus, & ætatibus, prouideantur, ſub pœna priuationis officij Prælatis in hoc negligentibus,&non ſe corrigentibus, infallibitèr exequenda.

Statuimus in ſupèr, vt á Paſcha, vſque ad feſtum omnium Sanctorum, Raſura fiat quintodecimo quoquè die, ita tamem, quod proptèr feſta ſolemnia per aliquot dies anteponi, vel poſtponi poſſit. Alio verò tempore, præcipuè in terris frigidis, à tertia in tertiam hebdomadam habeatur. Raſura in parte ſuperiori capitis ſit non modica, vt religioſos excalceatos decet, ſic autem vt inter ipſam, & aures non ſint plùs quam tres digiti. In omnibus choro deputatis tonſura fiat deſuper aures: in fratribus autem obedientiæ vſqué ad medias aures, religioſé tamen.

Vo-

Volumus præterea (ne ab hac communi vita religioſi, aut Prælati, quæſitis coloribus, occaſionibus vé excuſentur) vt nullus in negotijs quantumlibét pijs, etiam in munere prædicationis, ita ſe occupet, vt commodè ſui Ordinis regularem, & communem vitam, cui ſua ſe profeſſione diuinxit, ſeruare non poſſit. Sed ita ſe gerat in omnibus his exterioribus, vt profeſſio, quæ cæteris alijs arctior, ac principalior obligatio eſt, integra, & illæſa permaneat.

Vt autem in omnibus huiuſmodi æqualitas dicta, & humilitas obſeruetur, ad officia humilia peragenda, fricandi, ſcilicèt, & verrendi, deputentur in tabula communi omnes Prælati, tàm inferiores, quàm ſuperiores, etiam pater Vicarius generalis. Et hi, qui chori, miniſterijs, aut alijs officijs exequendis, ſingula quaquè hebdomada, in communi tabula deſignantur, ea, quæ ſibi impoſita ſunt, obſeruare diligenter curent. Et qui vrgente neceſſitate ab officio ſibi iniuncto excuſatur, ſtatim Prælato, ſeú Vicario conuentus denuntiet, vt eius loco alterum ſubſtituat.

Epiſtolæ nunquam ſine Prælati licentia ſcribantur, & tàm quæ mittuntur, quàm quæ recipiuntur, ab ipſo Prælato legantur, exceptis ijs, quæ á ſuperioribus, vel ad ſuperiores mittuntur, vel ad Definitores, & illis quæ á fratribus, vel parentibus religioſis mittantur, modò id Prælato certè conſtet.

Satuimus inſupér, vt in dimidia tantum papiri phyllira ſemper ad fratres, & ſorores Recollectionis noſ-

træ scribatur:nisi materia scribenda amplior sit, quæ integram papirum postulet, vel nisi epistola ad sæculares mittenda sit.

Hortamur item maximoperé subditos, ne Prælatis, ac Superioribus suis epistolis inutilibus sint onerosi: ipsiquè huiusmodi literas absqué speciali necessitate minimé permittant: eas nimirùm quæ tantũ recomendationis, aut gratulationis causa ob electionem suam, vel pro diebus Paschalibus, inscribi solent. Hæc enim, & similia voluntatis signa, tamquam sæcularium adulationum indicia, procùl fiant á nostris religiosis. Licebit culibet tamèn; si scribendi necessitas his temporibus occurrat, non quasi perfunctoriè, de prædictis gratulari. Prælatus veró; nomine totius conuentus, hoc gratulationis, & salutationis debitum; omni adulationis specie seclusa, persoluere possit.

CAPVT XVIII.

De Infirmis.

AB hoc communi viuendi vsu, aùt infirmi, ob naturæ dispendia, aùt bené valentes, ob itineris incommoda solum excipi possunt, quos Prælatus specialiori cura prosequatur: maximé veró ægrotos. Circa quos minimé pater Commendator sit negligens: sic enim curandi sunt infirmi, vt citius conualescant: vt habetur in Regula Patri nostri Augus-

gustini. Et sic etiám infirmorum sollicitudo ante omnia adhibenda est, vt sicut Christo, aùt membris eius, ita eis seruiatur. Maximam ergò diligentiam abhibeant Prælati, vt ita eis necessaria ministrentur, quód nec sæculi dilicias, nec consaguineorum affectum desiderent. Quod, vt commodiùs fiat, deputetur à Commendatore, præter chóri hebdomadarium (cui primariò ægrotantium cura sit annexa) alius, qui dicatur minor infirmorum minister, timens Deum, diligens, ac sollicitus, charitate, & patientia præditus, qui ab omnibus alijs feriatus, huic curæ semper intendat, quiqué medicorum iussa opportuné exequi, & cuncta alia necessaria præstare conetur. Prælati veró, non aliter ac patres filiorum, subditorum teneantur curam gerere, eisqué, secundùm medicorum consilium, de necessarijs prouidere. Nequè in procuranda infirmorum salute, cæterisquè ad eorum solatium necessarijs, vnquám admittenda est paupertatis excusatio. Quantúm fieri possit, quotidiè eos visitent, & omnem humanitatem, & paternam beneuolentiam eis exhibentes, eos ad patientiam, & resignationem cum diuina voluntate hortentur, & vt Sacramenta Ecclesiæ suo tempore eis conferantur, procurent, ne (quod ab sit) absqué eorum sumptione infirmi aliquando decedant. Prælati circa infirmorum curam negligentes, ita vt notabile periculum aliquis, ob alicuis rei defectum, incurrat; vel absquè Sacramento aliquo moriatur; per vnum annum ab officio sint suspensi: cæteri veró of-

træ scribatur: nisi materia scribenda amplior sit, quæ integram papirum postulet, vel nisi epistola ad sæculares mittenda sit.

Hortamur item maximoperé subditos, ne Prælatis, ac Superioribus suis epistolis inutilibus sint onerosi: ipsiquè huiusmodi literas absqué speciali necessitate minimé permittant: eas nimirùm quæ tantũ recomendationis, aut gratulationis causa ob electionem suam, vel pro diebus Paschalibus, inscribi solent. Hæc enim, & similia voluntatis signa, tamquam sæcularium adulationum indicia, procùl fiant á nostris religiosis. Licebit culibet tamèn, si scribendi necessitas his temporibus occurrat, non quasi perfunctoriè, de prædictis gratulari. Prælatus veró, nomine totius conuentus, hoc gratulationis, & salutationis debitum, omni adulationis specie seclusa, persoluere possit.

CAPVT XVIII.

De Infirmis.

AB hoc communi viuendi vsu, aùt infirmi, ob naturæ dispendia, aùt bené valentes, ob itineris incommoda solum excipi possunt, quos Prælatus specialiori cura prosequatur: maximé veró ægrotos. Circa quos minimé pater Commendator sit negligens: sic enim curandi sunt infirmi, vt citius conualescant: vt habetur in Regula Patri nostri Augus-

guſtini. Et ſic etiám infirmorum ſollicitudo ante omnia adhibenda eſt, vt ſicut Chriſto, aùt membris eius, ita eis ſeruiatur. Maximam ergò diligentiam abhibeant Prælati, vt ita eis neceſſaria miniſtrentur, quód nec ſæculi dilicias, nec conſaguineorum affectum deſiderent. Quod, vt commodiùs fiat, deputetur à Commendatore, præter chóri hebdomadarium (cui primariò ægrotantium cura ſit annexa) alius, qui dicatur minor infirmorum miniſter, timens Deum, diligens, ac ſollicitus, charitate, & patientia præditus, qui ab omnibus alijs feriatus, huic curæ ſemper intendat, quiqué medicorum iuſſa opportuné exequi, & cuncta alia neceſſaria præſtare conetur. Prælati veró, non aliter ac patres filiorum, ſubditorum teneantur curam gerere, eiſqué, ſecundùm medicorum conſilium, de neceſſarijs prouidere. Nequè in procuranda infirmorum ſalute, cæteriſquè ad eorum ſolatium neceſſarijs, vnquám admittenda eſt paupertatis excuſatio. Quantúm fieri poſſit, quotidiè eos viſitent, & omnem humanitatem, & paternam beneuolentiam eis exhibentes, eos ad patientiam, & reſignationem cum diuina voluntate hortentur, & vt Sacramenta Eccleſiæ ſuo tempore eis conferantur, procurent, ne (quod ab ſit) abſqué eorum ſumptione infirmi aliquando decedant. Prælati circa infirmorum curam negligentes, ita vt notabile periculum aliquis, ob alicuis rei defectum, incurrat; vel abſquè Sacramento aliquo moriatur; per vnum annum ab officio ſint ſuſpenſi: cæteri veró officia-

ficiales arbitrio Superiorum grauitèr puniantur. Circa senes eandem curam habeat Commendator, ac circa reliquos infirmos; senectus enim ipsa morbus sanè est.

Ægroti veró se pauperes infirmos esse recolant; pauperumqué proprium, modicis esse contentos, necessarijs sæpè carere, ac defectus æquanimitér tolerare: nequé enim diuites omnia pro votis habere quæunt. Quare nec superflua in Monasterio quærant, quæ fortè (vt inquit Pater noster Augustinus) nec in sæculo habere potuerunt; nec de obsequio, non ita sibi opportuné impenso, seipsos, aut patientér seruientes, contristent. In conuentibus autem vbi frater aliquis, qui aliúndè sit, cœperit in firmari, ibi omninò curetur, donec rectè conualescat, nisi alitér per patrem Vicarium generalem, vel Prouincialem fuerit rationabilitér ordinatum. Si verò infirmi, ob paupertatem monasterij proprij, vel iustam aliam causam, in aliud à Superiori mittantur, benigné eos Prælati recipiant, & non alitér ac cæteris conuentualibus, eis charitatiuè de omnibus prouideatur, sub pœna suspensionis ab officio per duos menses oppositum facientibus. Si autem ex frequenti hospitum ægrotantium cura domus nimis grauetur, Prouincialis arbitrio, à prædicto onere, subsidio aliquo ab alijs conuentibus persoluendo, subleuetur.

Prohibemus strictè, ne religiosi nostri in sæcularium domibus, etiam parentum, curentur: interueniente autem graui, vrgentiqué necessitate, cui in Religione subueniri non possit, hoc de licentia patris Vi-

Vicarij generalis, ſi propé ſit; ſin autem de licentia patris Prouincialis, fieri licebit. Nequé etiam in firmi abſqué eàdem licentia ad balneorum loca proficiſcantur, ſub pœna grauis culpæ.

Caueant religioſi, ne leuium indiſpoſitionum, ſiué ægritudinum cura, nimium ſolliciti ſint, ne ijs affecti, á choro, alijſqué obſeruantijs, & arctioris vitæ exercitijs reuocentur; ne vè occaſionem ſumant lineis vti indumentis, carnibus veſci, corporiqué ſæpè, animæ, ſub neceſſitatis ſpecie, inſidianti, nimium indulgére. Etſi enim aliquando leuibus infirmitatibus aliqua medicinæ remedia adhibere oporteat, non tamen debent, nequè poſſunt omnes, ſalua noſtri inſtituti integritate, curari: cum ferè impoſſibile ſit inter nos aliquem, cum tanta vitæ auſteritate, aut nuditate, aliquo corporis incommodo, aut afflictione ſæpè non laborare: quare hortamur omnes in Domino, vt viriliter ſuæ profeſſionis inſtitutum adimplere contendant. Præcipimus item, ne linea indumenta ad corporis, lectuli vè vſum cuiquè, niſi febre, aut quauis alia infirmitate laboranti, vel iam ex infirmitate conualeſcenti, concedant. Illis verò qui habitualibus, leuibus tamen, indiſpoſitionibus afficiuntur, lineis rebus vti, aut carnibus veſci, tantúm de licentia Prouincialis permittatur: quam ipſe maturè, inſpecta neceſſitate, in ſcriptis, & cum temporis limitatione, concedat. Maiori cura Prælatis incumbendum eſt, vt ij, qui longo tempore, aſſidua corporis indiſpoſitione laborant, non in ægritudine

per

per totam vitam se confirmatos facile credant, & à regulari obseruantia liberos, sed sæpé eos moneant, & charitate Christiana non prætermissa, si opus fuerit, eos inducant, & compellant, vt per aliquod tempus iugum regularis obseruantiæ iterúm, atquè iterum ferre tentent: cúm experientia compertum sit, plures de sua salute feré desperatos, simili remedio vires, non solum corporis, sed etiam spiritus, recuperasse.

CAPVT XIX.

De Fratribus iter agentibus.

OMnes fratres viatorés Ordinis nostri, in scriptis sui Prælati licentiam, seu literas testimoniales secum ferant: quas si ferre neglexerint, in carcerentur in domibus, ad quas contigerit declinare. Teneanturquè religiosi omnes, cuiuscumquè conditionis sint, cùm ad nostra peruenerint monasteria, statim post benedictionẽ à Prælato acceptam, sub pœna gravis culpæ, literas dimissorias ostendere. Ipsis tamen ostendentibus, Prælati, absquè vlla personarum excepione, eas exquirant, & legant: nisi tanta euidentia morali eis constet de fidelitate personæ, vt omninò superflua cuilibet prudenti iudicio actio illa videatur.

Nullus religiosus missus ad vnum oppidum, audeat ad aliud ire, sine licentia, quod totum præcipimus ob-

obſeruandum: nam iuxta S. Concilij Tridentini decretum, Seſ. 25. de Regular. & Monialibus, cap. 4. legimus: Nec liceat regularibus à ſuis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint. Qui veró ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum, tamquam ſui inſtituti deſertor, puniatur. Hactenus Concilum. Et Sixtus Papa V. ſuo proprio Motu, inquit: Prohibemus eodem modo, atquè interdicimus, ne quis regularis ex vna prouincia ad aliam ſui Ordinis tranſiens, etiam in itinere, intra aliquod monaſterium, domum, vel locum alterius prouinciæ ad habitandum, vel tamquam hoſpes recipi, aut per modicum tempus diuertere poſſit, niſi à Superiore eius loci, vbi reſidet, expreſſam licentiam diſcedendi in ſcriptis obtentam, ſeú literas obedientiæ, vel commendatitias ſecū ferat, atque exibeat: vel niſi ita cognitus ſit apud illos, ad quos diuerterit, vt de eius perſona, nullus omninó dubitationis, aut ſuſpicionis locus relinquatur. Quod ſi regulares prædictas literas non deferant, ſub cuſtodia à locorum Ordinarijs detineantur, tamquam ſuſpecti de crimine. Et ſubiungit idem Pontifex: Et volumus, vt ij, qui etiam pietatis, vel hoſpitalitatis prætextu, regulares alterius prouinciæ ignotos, aut ſine licentia, vel literis receperint, pœnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, necnon officiorum, graduum, honorum, & dignitatum obtentorum, atqué inhabilitatis perpetuæ, incurrant.
Quo

Quocircà si Commendator, vel Prælatus prædictos omnes non punierit, sed receperit, vt domi permaneat, nulla excusante causa, sit excommunicatus.

Quòd si prædicti fratres, qui sine literis testimonialibus incedunt, nec apostatæ sint, nec fugitiui, & id euidenter constet, tunc incarcerentur per integrum diem: & in pane, & aqua ieiunent: statimqué à monasterio exepellantur, ne audeant fratres liberè, cum tanta Religionis infamia, diuagari. Si veró subditus licentiam petierit, & Prælatus dare noluerit, non discedat vnquam á monasterio, donec duorum fratrum testimonium secum ferat, Prælatumquè in scriptis dare licentiam noluisse testentur, sequè adire Prouincialem, aut Superiorem; & tunc non puniatur. Et tàm in ijs, quàm in prædictis omnibus, non solúm hanc Concilij reformationem, sed Pontificis decretum decernimus obseruandum. Commendatores verò iter facientes, semper sigillum sui officij, & titulum suæ Commendæ secúm ferant.

Omnes fratres, cúm sunt in via, Diuinum semper officium, secundum Breuiarium Romanum, recitent; aut secundum Ecclesias, ad quas declinauerint. Subditus, antequam exeat à monasterio, bendictionem a Prælato accipiat,& sanctissimam Eucharistiam deuotissimè visitet; deinde coram aliquo Sacerdote prostratus, vel secúm ipse solus orans, dicat Psalmum, Leuaui oculos meos, &c. Kyrie eleison. Pater noster,

ter,&c. Verſ. Saluum fac,&c. Oremus. Adeſto, Domine,ſupplicationibus noſtris,&viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone:vt intèr omnes viæ,& vitæ huius varietates, tuo ſemper protegamur auxilio. Per Chriſtum Dominum noſtrum,&c. Et aſpergatur aqua benedicta.

In via veró,quando mané ſurgunt viatores fratres, dicant Canticum: Benedictus Dominus Deus Iſtaël, &c. Gloria Patri,&c. Antiphona. In viam pacis, proſperitatis,ſecuritatis,& ſalutis dirige nos Domine. Kyrieeleiſon. Chriſteeleiſon,Kyrieeleiſon. Pater noſter, &c. Et ne nos,&c. Verſ.Benedictus Dominus die quotidié. R. Proſperum iter faciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum. Verſ. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix. Reſp. Vt digni efficiamur, &c. Verſ. Dominus vobiſcum,&c. Oremus. Exadi, Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis:vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus,& pacem. AdeſtoDomine ſupplicationibus noſtris, &c. & Pſalm. De profundis,&c.Fidelium Deus,&c.

Redeuntes autem,ſtatim quærant Prælatum, á quo benedictionem accipiant, & Sanctiſſimum Sacramentum devotiſſimé viſitent.Deinde corám aliquo Sacerdote,vel ſecùm,dicẽtPſalm. Ad te leuaui oculos meos, &c. Gloria Patri,&c.Kyrieeleyſon.Chriſteeleiſon.Kyrieleyſon.Pater noſter &c. Verſ. Et ne nos,&c.Dominus vobiſcum,&c. Oremus. Miſerere, quæſumus Domine,huic famulo tuo:vt quidquid in via ei ſurripuit ſenſus,totum ineffabili clementia tua deleas.Per Chriſtum,&c.

Vniuersi fratres, Apostolorum vestigia sequentes, si vires sufficiant, peditès iter agant: non valẽtes id servare, iumentis, alijs vé animalibus ex humilioribus, humilibusquè stragulis vti possunt. Nemini tamen liceat sellæ insedere, nequé habenas, nisi excannabo, & stapedas (vulgariter, Estriuos) nisi ex ligno confectas, portare. Quod omninó seruetur, cùm viator animalibus conuentuum vtitur, sub pœna grauis culpæ per tres dies. Quando verò ex necessitate, aut longi itineris ratione, alienis animalibus vtendum est, si commodè fieri potest, idem obseruetur.

Commendator verò, Commendatorem superuenientem honoret, & omnes viatores, & hospites nostri Ordinis, deuotè, benigné, ac maxima cum charitate excipiat. Et tám eis, quàm eorum iumentis (nullam necessitatem obijciens) diligènter, & charitatiuè prouideat. Cæteri veró religiosi ergà eos fraternalitèr se gerant, vt moris est apud nos, eorumquè communitèr pedes lauentur, maximè, si pedites iter egerint. Idemquè circa religiosos aliorum Ordinum, præsertim circa nostros patres calceatos, & pauperes obseruetur. Religiosi nostri hospites, sine licentia Commendatoris domus, in qua sunt, nihil agant, nequé à monasterio exeant, & Commendatori libera sit eos corrigendi facultas, si opus fuerit. Transacto tamén vno die ab itinere (si iter fuit breue, & si fuit nimis longum, tribus diebus) omnes religiosi tàm conuentuales, quàm hospites, chorum, communitatemquè, cum cæteris, sequãtur: nisi hospiti longo itinere fatigato, plus otij Prælatus

tus indulgeat. Omnes veró, etiam ſi ſint Commendatores, poſt primum diem, pro intentione Conuentus celebrent, & in omnibus Prælatis obediant, ſicut cæteri conuentuales.

In via fratres conſtituti, antiquiori, ſiué ratione officij, ſiuè profeſſionis, in omnibus ſemper obediant, & maximam honeſtatem, & modeſtiam, omnes vbiquè interiùs & exteriùs præſtent. Inter fratres verò itinerantes poterit Commendator, vel Præſes, ob rationabiles cauſas, ſuas vices, etiam non antiquiori, commendare.

Si quis frater Ordinis noſtri in oppido, ſiué loco, vbi monaſterium Ordinis habemus, extra monaſterium permanſerit, maxima cum diligentia requiratur, & pœnæ grauis culpæ minimè relaxandæ ſubiaceat. Quocircà præſenti conſtitutione ſancimus, vt quantúm poſſibile ſit, euitetur, ne fratres noſtri ſine ſocio incedant, non tantum in ciuitate, vel in oppido, ſed etiam in via. Et ſemper deferant Ordinis ſcutum in pallio, quoties extra monaſteria vagantur, quod ſi ſecus fecerint, pœnæ grauis culpæ ſubiacebunt. Prælatos veró omnes hortamur, vt omni ſtudio contendant, ne religioſi ſine graui neceſſitate itinerentur, quia nullibí (experientia teſtante) ſpiritualis eorum ſalus, pluſquàm in itinere, periclitatur.

Delinquentibus tamén, qui ad nos confugerint, vltrà tres dies in domibus noſtris permanere non liceat. Pro horum tamen delinquentium defenſione, nunquã religioſi noſtri contentioſé Iuſtitiæ miniſtris ſe oppo-

nere audeant, sub pœna suspensionis ab officijs per sex menses. Vt sæcularibus nullus aditus pateat in nostris conuentibus, ministri, & famuli sæculares, quantū possibile sit, excusentur admitti. Existentibus veró inter nos, aut alijs quibuscumqué religiosorum cællas ingredi non permittatur, nisi grauibus, honorabilibusqué personis Commendator id aliquando concedat. Sæculares non hospitentur in nostris conuentibus, nisi rarissimè, & pro graui causa, & tunc nullatenús fiat in dormitorijs nostris, aút cum nimio apparatu, qui modum nostro instituto debitum excedat.

CAPVT XX.

De Redemptione captiuorum.

POstquam de his, quæ in ordine ad Deum, & ad nos ipsos: iam in sequentibus de his, quæ in ordine ad proximos necessaria esse videntur, stabiliamus: priusquè in ordine ad captiuos fratres redimendos, postea vero in ordine ad cæteros Christi fideles, quorum saluti, medijs confessionibus, concionibus, & sacrificijs, vt perfecti Christi ministri, & Corredemptores, inuigilare debemus. Cúm ergò Ordo noster, ad Redemptionem captiuorum, à Summis Pontificibus confirmatus & maxims honoribus, & priuilegijs per Romanos Pontifices, & serenissimos Aragonum, & Castellæ Reges, sit insignitus: ne, frigescente charitate, opus hoc insigne tepescat, & vt Redemptio captiuorum frequen-

quentiùs,&copioſiùs fiat; ſicut ab antiquis temporibus in noſtro Ordine fieri conſueuit, præſenti conſtitutione præcipimus, ſub ex communicationis maioris pœna,& priuationis vocis actiuæ,& paſſiuæ in perpetuum quod nullus frater,ſiuè Prælatus ſit, ſiuè ſubditus, per ſe,nequè per alium,directè, nequé indirectè, pecunias recipere audeat,nequè quoduis aliud munus pro captiuorum redemptione,quin illud, quod ſic acceperit, intra viginti quatuor horarum ſpatium Commendatori,& clauigeris manifeſtare non differat, vt ſtatim in libro Redemptionis ſcribatur, & in communi depoſito cuſtodiatur. Et ſub eiſdem pœnis ſtrictè præcipimus,vt nullus frater cuiuſcumquè conditionis ſit,dicta bona Redemptionis captiuorum,quouis colore recepta,conſumat,vel in alios vſus conuertat, nequè mutuò accipiat,vel cum bonis conuentualibus miſceat,nequé retineat (niſi per aſſignatum tempus)ſed cum fidelitate ſeorſum ponantur, & cuſtodiantur in depoſito tribus clauibus clauſo,quas diuerſi fratres ſeruent. Quæ omnia etiàm in Indijs,ſub eiſdem pœnis, obſeruentur, ſi fortè apud eas remotas partes aliquæ prouinciæ curſu temporis erigantur. Prouinciales autém earumdem diligentiſſimé curent, quod huiuſmodi Redemptionis bona maxima fidelitate, & ſecuritate in Hiſpaniam mittantur,& Prouinciali prouinciæ Conceptionis, ſeù Commendatori Hiſpalenſi conſignentur, vt ſuo tempore in vſus Redemptionis captiuorum conuertantur. Commiſſarij autem, ſeu vices gerentes patris Vicarij generalis apud illas prouincias, circa hoc maximam

inquisitionem faciant:& Prouinciales,& Commendatores, vel quoscumqué alios fratres, circa prædictum Redemptionis munus negligentes,& prædicta non obseruantes, priuatione officiorum, & grauissimis alijs pœnis,absquè vlla relaxatione,puniant.

CAPVT XXI.

De his qui pro Redemptione captiuorum eleemosynas petunt,

CVm misera hominum Christianæ religionis conditio sit,apùd Christi inimicos seruorum operas captiuos præstare, & in durissimo ergastulo detineri; vbi non solum corpus,sed quod magis dolendum, animæ periclitantur:summa nobis cura incumbere debet; quia ob arctissimum professionis vinculum solemni voto firmatum,non iam nostri,sed captiuorum esse censemur,& quorum obsequio vltrò mancipati sumus, illorum salutem; quantum fieri possit, adiuare. Vndé apud antiquas,recentioresquè nostri Ordinis historias legimus,primitiuos Ordinis nostri Parentes,diuini spiritus ardore accensos, votum Redemptionis captiuorum sic fuisse exequutos,vt per loca arida, & lenticosa,nudis pedibus,causa emendicandæ eleemosynæ pro captiuis,strenuè peragrarent. Adeò, vt in quodam Capitulo generali in exordijs nostri Ordinis celebrato, de consilio Diffinitorum stabilitum fuerit, quod fratres nostri,cúm ad eleemosynas petendas, pro redimédis

dis captiuis, iter facerent, deincéps nullo modo pedibus incederent nudis, ſed calceos quoſdam portarent, qui plantam pedis tuerentur, partemqué ſuperiorem pedis intectam relinquerent, vt ea ratione, itineris incommoda vitarent, & aſperitatem præſeferrent. Ideó præſenti conſtitutione præcipimus, vt Commendatores captiuorũ eleemoſynas ſumma ſollicitudine quærant,& obſeruent. Fratres tamen extrá conuentum nõ mittant,qui ſub ſpecie colligendæ eleemoſynæ captivorum,cum clauſuræ,aut Religionis diſpendio, apud ſæculares diuagentur. Caueant autem né in Eccleſijs, vel alibi,vbi captiuorum eleemoſynæ petuntur, eorũquè condolenda fortuna, concurrentibus fidelibus,exprimitur,fratres noſtri verbis,alterius Religionis alumnis,ſeu ſæcularibus,ſcandalum faciant, aut aliquo modo perturbent. Ita enim captiuorum res ab omnibus agendæ ſunt,vt in verbis,actibus, motibuſqué nihil ſit, quod cuiuſquam offendat aſpectum,ſed quod noſtram decet ſanctitatem, iuxta Regulam Parentis noſtri Auguſtini. Quid enim proderit captiuos eleemoſynis iuuare,cum proximorum ſcandalo,animæquè,& Religionis iactura? Imó potiùs,dùm hæc à nobis modeſté tractentur,tùm in eorum auxilium diuinam prouocamus largitatem, tùm fidelium hominum beneficentiã ad redimendos captiuos extorquemus.

CAPVT XXII.

De Redemptoribus.

FRatres,qui á prouinciali Capitulo, vt eant in terram Sarracenorum,pro redimendis captiuis, nominantur,vita,ætate,ſcientia,& prudentia maxima ſint præditi, & qui ſciant ſe prudentiſſimè gerere erga infideles,ne in aliquo poſſint deludi,vel defraudari.Captiuos quoqué Chriſtianos per ſe ipſos, & non per interpoſitas perſonas, fideliſſimè, & abſqué aliquo dolo, miſericorditèr redimant. Ita vt maior illorum ſplendeat charitas,vbi maior fuerit, aùt immineat fratrum captiuorum neceſſitas.Et ſi ita duxerint expedire,túm maximé, ſi inſtet animarum periculũ, in quibus apoſtaſia timetur à Fide:ſi pecunia non ſit ſatis eorum Redemptioni, vnus fratrum maneat in poteſtate Sarracenorum pro pignore detentus,aſſignato pretio, & tẽpore,quo illud ſit aſportandum:exemplo Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui ſemetipſum dedit pro nobis, vt nos à poteſtate dœmonis redimeret. Hoc autem fiat, quãdocumqué fieri contingat, de licentia Vicarij generalis, & Diffinitorum Capituli. Verum ſi non ſit liber aditus in terras Sarracenorum,& Turcarum;ad vitanda pericula,& damna, ne fratres, & ſerui, & bona pro Redemptione deputata inutilitér pereant, in hoc aut ſimili vrgente impedimento , liceat fratribus noſtris per interpoſitas perſonas Redemptionem captiuorum exer-

exercere. Redemptis verò captiuis, non niſi publico inſtrumento eorum omnium, quæ facta ſunt in redẽptione, fratres reuertantur: recepto priùs iuramento fidelitatis, quod pacificè, & obedientèr ſequentur eorum ductores, quando ad terram Chriſtianorum venerint, quocumquè voluerint, modó tempus duorum menſiũ non ſuperetur. Et ſic neceſſaria in via miniſtrentur eis, vt & ipſi inſeruire valeant Redemptoribus. Tranſacto verò tempore duorum menſium, barbæ Redemptorum radantur (quæ ante non debent radi) & ſimul etiam captiuorum: & vnicuiquè induſium, ſeu camiſia, & tunica, cum calceamentis detur: & pro itinere impenſæ ita largiantur, vt ſine mendicitate poſſint ad propria cum gaudio remeare.

Fratres tamen Redemptores pró viribus ſtudeant, ecundúm Ordinis præceptum, hoc opus ſanctiſſimum fideliſſimè, & diligentiſſimé explere, vt de negligentia vlla non poſſint meritó reprehendi. Vt autem Redẽptores maiori fidelitate, commoditate, ac claritate prædicta omnia adimpleant, ſub dictis pœnis illis præcipitur, vt ſinguli ſingulos libros habeant in quibus omnia fideliter pro redemptione captiuorum ſcribant, tám ea quæ receperint, quám ea quæ expenſis fuerint neceſſaria: & omnia publico inſtrumento roborentur, & in Capitulo primo generali, ſeu prouinciali immediaté ſequenti, omnium, quæ dicto modo geſta fuerint, Diffinitorio rationem redant. Redemptorumquè rationẽ maxima diligentia, maximaqué conſideratione Diffinitores Capituli attentiſſimé ſumant, nequé aliquid ſi-

ne diligenti examine prætermittant : non quoslibét sumptus,& expensas admittentes,sed eas præcisè, quæ necessariæ videantur. Et rursus præter primam dictam rationem,quam in primo Capitulo immediatè redditurì sunt,etiam in alio Capitulo,non nisi generalis,iterum rationem reddant.In quo,si in priori examine generalis, vel prouincialis Capituli negligentes fuerint reperti,grauiùs puniantur, & emendentur à Diffinitorio,& ibi prædicta omnia absoluantur.Interim tamén, dùm Redemptores prædictam primam rationem, seù computum omnium non reddiderint, ad nullum officium promoueantur.

CAPVT XXIII.

De Ordinibus recipiendis.

QVia per ordines constituitur Christi minister, vt medijs sacrificijs,concionibus,& confessionibus, proximos juuet:iam de ordinibus recipiendis decernere,operepretium est. Nemini religiosorum, nisi post annum,& dimidium à sua professione transactum,Diaconatus, aùt Subdiaconatus ordines conferantur : nequè ad Sacerdotium,nisi tribus elapsis annis post professionem emissam,aliquis promoueatur : nequé ante quàm Diaconatus,aùt Subdiaconatus munere fungatur, habeat votum in Capitulo conuentuali. Ij verò, qui tempore susceptionis habitus,Sacerdotio iam fungebantur,non admittantur ad Capituli suffragia, ni-

si

ſi vno anno à ſua profeſſione tranſacto.

Religioſi ad ordines promouendi,à Prælato,& duobus alijs á Prouinciali deſignatis, præuio examine, de ſcientia probentur.Inſuper,per ſecreta Capituli ſuffragia eorum merita,mores,ac vita diſcernantur. Nequè Prælati literas dimiſſorias ad ſuſcipiendos ordines religioſis concedant, ante quám conſtet eis ſufficientér de illorum ætate,& de Capituli approbatione: & tunc non concedant eis,niſi ad Epiſcopum diœceſanum: at ſi diœceſanus abfuerit, vel non ſit habiturus ordinationes,ad quemcumqué alium Epiſcopum;non tamen pluſquám triginta leucis à ſuo conuentu diſtantem.Caueant tamèn ne differant de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus diœceſanus, vel abfuturus, vel non eſt habiturus ordinationes. Et cùm,Epiſcopo diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, literas dimiſſorias ad alium Epiſcopum dabunt, in eis huiuſmodi cauſam abſentiæ diœceſani Epiſcopi , vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimant.

Ad Sacerdotium promoti, nulla ratione celebrent antequàm in Miſſæ ceræmonijs,iudicio Prælati,& aliorum duorum religioſorum (á quibus debent examinari)ſint ſufficientér inſtructi. Et priús ſpiritualibus exercitijs,per decem dies,operam dabunt, vt conuenientér Angelorum ſe præparent miniſterio. Nequé extrá domum noſtram prima Miſſa cantetur. In die ſolemnitatis primæ Miſſæ omnia modeſté, & religioſè fiant, exceſſusqué,tàm in menſa,quám in alijs apparatibus euitentur.

 CA-

CAPVT XXIIII.

De Confessionibus, & confessoribus.

NVllus frater in Ordine nostro confessiones audiat sæcularium, nequé fratrum, & maximé alterius Religionis, nisi legitimam ad hoc facultatem habeat, & priùs à patre Vicario generali Ordinis nostri, vel à Prouinciali fuerit approbatus, & ab eo licentiam obtineat in scriptis. Confessores veró, non nisi qui literis, vita, & sanctitate fuerint præcogniti, designentur. Quod vt rectiùs seruetur, Prouincialis per se, vel Commendator conuentus ex eius commissione, & alius ex dignioribus religiosis, examinata eorum sufficientia, eos approbent, vel reprobent.

Pro sæcularibus veró, etiam à locorum Ordinarijs, vel ab ijs, qui Episcopali gaudent dignitate, facultatem obtineant. Et, ne obtenta huiusmodi licentia, in studijs remissiús se gerant, quolibét triennio ab examinatoribus deputatis à Religione, de eorum sufficientia examinentur, nisi alias sint, aut fuerint Theologiæ, vel Artium Lectores, aut Prælatorum munere fungantur, vel functi sint. Hoc igitur examen fiat modo dicto, á Prælato superiori, secunda vice suæ visitationis.

Caueant autem prædicti confessores, ne in ipsis cōfessionibus aliquid petant ab ipsis pœnitentibus. Commendatores autem Ordinis nostri, quilibet eorum in suo conuentu confessores fratres assignet, ex approba-

tis

tis à Prouinciali, qui aliorum fratrum confeſſiones audiant. Et nullis alijs confeſſoribus confiteantur fratres, niſi illis tantùm, quibus à Commendatoribus ſuis fuerit commiſſum. Qui etiam poſſunt audire confeſſiones hoſpitum. Si veró á conuentu omnes confeſſores approbati abſint, vel omninó ſint impediti, tunc Commendator alium, pro audiendis fratrum confeſſionibus, ſubſtituere poſſit: qui non cēſeatur abſolutè approbatus, niſi deficientibus á Prouinciali approbatis. Quicumquè veró non ſacerdos, ſi ſemel ad minus in qualibet Dominica confeſſus non fuerit, abſtineat in pane, & aqua, donec confiteatur. Religioſi mulierum confeſſiones non audiant in Eccleſia, nequé in alijs ſacellis, ſed tantúm in confeſſionarijs: in quibus ſint duæ laminæ ferreæ, exiguis foraminibus perforatæ, vel tantùm ſit vna ex dictis laminis, cum velo clauis confixo, dictiqué confeſſionarij (niſi tantúm tempore confeſſionum) ſub claue maneant. Et vt mutua inter Prælatos, & ſubditos dilectio incrementum quotidiè (maiori inter ipſos ſpirituali communicatione interueniente) ſuſcipiat, hortamur in Domino Prælatos omnes, vt ſæpé ſuorum ſubditorum, non alitèr quam veri paſtores, & medici, confeſsiones audiant: ipſoſquè ſubditos iterúm, atqué iterum monemus, vt cum Prælatis frequentèr confiteantur, ſimulquè interiores animi ſinus, & corda eis, tanquàm patribus, fidelitér aperiant. Cùm expediens Commendatori videbitur, licentiam profeſsis fratribus præbeat (maximè in feſtis ſolemnibus) confeſſorem liberè eligendi ex ijs, quos ipſe ad hoc aſsignauerit, dū

modò

modó electus sit ex approbatis á Prouinciali. Nouitijs verò,ex senioribus,& dignioribus conuentus confessores(bis autem in anno)à Commendatore concedantur. Et idem quod de nouitijs,intelligitur de nouiter professis in domibus , vbi nouitij educantur. Oportet autem,vt Commendator aliquandó eorum confessiones audiat.

Præcipimus,& strictè prohibemus,ne quis ex fratribus,tám Sacerdotibus,quám alijs,habita Ordinis confessorum copia,extraneo, & alieno Sacerdoti cuiuscũquè qualitatis,& conditionis ille sit,confiteatur. Et ne iugum Domini suaue, & onus eius leue , nimis graue (ministrorum indiscretione)reddatur: caueant Prælati à casuum reseruatione, absquè occasione magna ; seruantes decretum,ac dispositionem Clementis , fælicis recordationis Papæ VIII.Postulante veró vrgente necessitate,non à quocumqué,sed à patre Vicario generali,vel Prouinciali, simul cum suis Diffinitoribus , reseruatio fieri possit.

Fratres nostri diebus Dominicis sanctissmum Eucharistiæ Sacramentum sumant,nec non præcipuis festis Christi Domini nostri,beatæ Mariæ Virginis, sanctorum Apostolorum,sancti Iosephi, & omnium Sanctorum. In alijs verò festis,Commendatoris,vel Magistri nouitiorum arbitrio,communicent. Si verò plures communionis dies,aut festiuitates , simul occurrant, Commendatoris , aut Magistri iudicio,dies communionis relinquatur. Nequé aliquis professus,sine Commendatoris licentia , ad communionem accedere audeat,

deat, exceptis tàm professis, quam nouitijs, qui sunt sub disciplina, nouitiorum Magistri, qui de eius licentia id faciant. Communicent veró fratres ad Missam priuatam, nisi ob aliquam specialem causam à Commendatore, vel Magistro aliud fuerit ordinatum. Sacerdotes omnes, nisi vrgenti, ineuitabiliqué causa sint impediti, sacrum quotidié, deuotè, debitaqué cum puritate, celebrent, sub pœna ieiunij panis, & aquæ, sine licentia Cõmendatoris omittentibus. In die verò Cœnæ Domini, omnes religiosi, tam sacerdotes, de manu Prælati sacratissimum Corpus Domini recipiant.

Innitentes tám iuri communi, nostrisquè statutis, atquè antiquæ consuetudini, quám Pontificum priuilegijs; declaramus, sacerdotes simplices nostræ Religionis (illos videlicèt, qui Prouincialis, vel Vicarij generalis licentiam, & approbationem non habent) nullam habere jurisdictionem ad audiendas confessiones fratrum, etiam sacerdotum. Si tamen forté, ratione consuetudinis (quoad hoc) aliqua tacita viget facultas, illã præsenti decreto annullamus; decernentes, vt a nullo Prælato, præterquam à patre Vicario generali, vel Prouinciali, vnquàm licentia concedatur: aliàs sit nullius roboris, & momenti. Quod intelligi volumus siuè intra, siuè extra conuentum existant. Proindequè nullus religiosus, etiam sacerdos, alicubi eis confiteri possit, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, tàm confitenti, quàm confessionem audienti, per vnum mensem infligenda. Nullus fratrum officium Parochi exequatur, nisi de eius licentia; & hoc raró, causa vrgentis ne-

necessitatis. Non exeant noctu fratres nostri ad moribundos infirmos juuandos; ita vt per noctare extra conuentum cogantur: nisi aliás vrgeat aliqua grauis necessitas, vel id sine conuentus detrimento fieri non possit.

CAPVT XXV.

De Confessoribus Monialium.

MOnialibus, quæ fuerint in oppido, vbi conuentum fratrum habemus, præter confessarios ordinarios, quotannis tribus, aut quatuor vicibus, alij extraordinarij, non minus idonei designentur; seruata ab ijs, ad quos spectat, forma constitutionis sanctæ memoriæ Gregorij XV. hac de re editæ. Ordinarij veró non facilé mutentur, aut remoueantur: teneanturquè nostræ Moniales cum ipsis confiteri. In nullo Monialium conuentu aliquis frater Vicarij, aut Capellani munere fungatur, aut tamquám confessarius ordinarius in illo populo commoretur. Prælati tamen curam habeant, mittendi confessarios singulis mēsibus in eos conuentus, qui à nostris tantúm itinere vnius diei distent (dummodó Commendatrix, aut conuentus postulet) qui confessarij earum confesiones audiant, easqué spiritualitér consolentur. In monasterijs veró Monialium, existentibus in locis, quæ fratrum monasteria nō habent, Prouincialis confessarios prouideat ex extraneis, quos magis idoneos inuenerit. Prohibemus nequis

quis in locis, vbi sunt fratrum nostri Ordinis monasteria, possit Monialium nostræ Religionis, sine licentia Prouincialis in scriptis exibita, confessiones audire, sub pœna priuationis vocis, & loci per duos menses. Et sub eàdem pœna, nemini in particulari liceat munuscula ad eas mittere, aut recipere; ne spiritus ad superna anhelans, his ponderibus detineatur. Nequè eas etiam quis alloqui valeat, absqué eàdem licentia.

Strictè etiam religiosis omnibus, etiam Prælatis præcipimus, ne in oppidis, vbi sunt nostri Ordinis monasteria, in Monialium conuentibus, quacumquè de causa comedant, sub pœna grauis culpæ per quinqué dies. Si tamen ibi fratrum non fuerit monasterium; si in earum hospitijs forté fuerint diuersati, ne graues illis sint, & onerosi, illis cibis communitèr vescantur, qui earum communitati administrantur; maximé verò Visitatores, Prouinciales, alijqué Ordinis Prælati id studeāt obseruare. Strictiúsquè prohibemus, ne earum monasterij clausuram, quocumquè titulo, etiam prætextu ministrandi infirmis Sacramenta, aut alterius rei causa, nisi in euidenti, grauiqué necessitate, ingrediantur. Ingresi verò, recto tramite ad id tendant, cuius gratia ingrediuntur, sed nequé minimùm aliò se diuertant, aut vlla ratione adinuicem separentur: peractoquè negotio, cuius occasione fuerint ingresi, statim exeant, absquè vlla mora. Nequè intra monasterij clausuram, confessionis, aut Eucharistiæ Sacramentum miniſtrēt cis, quæ ad communionis fenestram, vel confessionarij locum cum alijs accedere possint. Si verò contingat

monialem aliquam ita graui, & periculoso morbo laborare, vt in articulo mortis sit constituta, tunc minimè intra monasterij septa religiosis liceat pernoctare, sed debita Sacramentorum administratione peracta, illoqué pietatis officio persoluto, ad sua celeriter redeant monasteria: nisi forté ægrotans in euidenti mortis periculo sit, & in tali dispositione, vt illo pietatis officio, quod in morientes solet exerceri, egeat, fructúqué ex eo percipere valeat. Ea defuncta, exeant statim, & ad conuentum, aliqua honorabili persona sæculari associati (si fieri possit) reuertantur. Sin autem opportunitas redeundi non sit, in Sacristia, vel alio simili, & honesto loco extra clausuram, vsqué in diem permaneant. Quæ omnia Prælatis strictè præcipimus obseruanda: aliter facientes, aut consentientes, pœnæ priuationis officij subiaceant. Subditi verò, graui pœna per quinquè dies mulctabuntur, & priuatione vocis, & loci per sex menses. Vt autem super prædictis omnibus maior cautio adhibeatur, volumus prædictas pœnas irremissibiliter delinquentibus applicari.

Oneramus insuper religiosorum omnium conscientias, vt cúm opus sit cum monialibus agere, eorum cõuersatio magnam animi modestiam, circumspectionẽ, morumqué grauitatem, tam in Sacramentorum administratione, & doctrina, quám in regimine, seu quacumqué alia re, præseferant: hoc enim maximé interesse, tam pro nostra, & illarum salute, quàm pro aliorum ædificatione (experientia teste) compertum est.

C A-

CAPVT XXVI.

De officio Concionatorum.

EVangelicæ prædicationis munus magnam in ministris exigit scientiam, & probitatem: quaré nullus diuinum verbum audeat prædicare, nisi prius Logicæ, ac Philosophiæ per tres annos, Theologiæqué per alios tres operam nauauerit, & á Prouinciali, vel â duobus religiosis ab ipso designatis, fuerit examinatus, ac idoneus inuentus. Oportet veró, vt ante quàm licentiàm obtineat, priús coràm Prouinciali, vel fratribus, intra designatum sibi tempus, concionem aliquam habeat; vt sic non solum de scientia, sed etiam de cæteris ad concionandum necessarijs, constet: maximè verò virtutis, & morum testimonium habeat.

Concionatores nostri in suis concionibus potissimũ studeant, vt auditorum mores probé informent, eosquè ad diuinum amorem, & timorem, aliarumqué virtutum feruorem excitent: ab inutilibus verò rebus se abstineant, solumqué Deum præ oculis habentes, ad solam ipsius gloriam, & populi salutem attendant. Qúi secús fecerint, si à Superioribus moniti, non sè correxerint, prædicandi facultate priuentur. Illos veró adiuuare, & fouere procurent, qui non se ipsos quærentes, nec in sublimitate sermonis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, prædicauerint. Nemo prædicet in Ecclesijs nostri Ordinis, nisi prius se coram Episcopo loci præsenta-

uerit, & ab eo benedictionem petierit: in Ecclesijs veró , quæ nostri Ordinis non sunt,vltra licentiam Prouincialis,etiam Episcopi licentiam obtinuerit. Nullus autèm,etiam in Ecclesijs nostri Ordinis,contradicente Episcopo,prædicare præsumat;antequam (iuxta Concilij Tridentini decretum)locorum Ordinarijs se præsentauerit;sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ per sex menses. Ante concionem , per octo dies Prædicatores choro non intersint, nisi ex deuotione voluerint. Ad orationis tamen mentalis horam, tám matutinam,quàm vespertinam cum cæteris conueniãt, nisi ex aliqua causa Prælatus cum illis dispenset. Concionaturis verò toto tempore Quadragesimæ plus tẽporis,arbitrio Prælati,concedatur , dummodó Orationi mentalis semper intersint.

Ordinamus,ne in locis,vbi non sunt Ordinis monasteria,conciones quadragesimales admittantur,ita vt religiosi extra suos conuentus totam,aut maiorem Quadragesimæ partem , commorentur. Districtè etiam præcipimus, ne monasteriornm superiores Quadragesimas prædicandas admittant,aut ita se prædicandi muneri tradant,vt monasteriorum suorum regimini,& regulari disciplinæ, aut alijs suis potissimis obligationibus desint. In monasterijs nostris singulis Dominicis Aduèntus,& Quadragesimæ,aut solemnioribus diebus (si fieri possit) concio habeatur ad populum.Si Prælatis expediens visum fuerit,ad populos , in quibus monasteria habemus,concionatorem aliquem,aut quempiam alium fratrem destinare possunt,vt populum do-

ctri-

ctrina Chriſtiana valeat inſtruere,aliaquè myſteria Fidei docére,& ea,quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem,nunciare.

C A P V T XXVII.

De leui culpa,& de eius pœna.

HActenus de acceſſu ad Regulam : iam propter multiplicemab illa receſſum,pœnas debitas ſtatuamus. Cùm vix fieri poſſit in communitatibus, quãuis piè inſtructis,& optimis legibus gubernatis , vt aliqui,à ſuæ profeſſionis obſeruantia,aliquando non deficiant:ideò ſicut ſalutaribus Prælatorum monitis , ita debitis eorum obiurgationibus,& pœnis(vbi opus eſt) regularis diſciplina armari,& defendi debet. Impunitas enim (teſte Bernardo) incuriæ ſoboles , inſolentiæ mater,impudicitiæ radix,& tranſgreſſionum nutrix eſſe ſolet. Oportet igitur aliquas diſcernere pœnas , vt ſecundùm culpæ modum,ſalutaris punitio delinquentibus inferatur.

Leuis culpa eſt, ſi quis mox, vt ſignum factum fuerit,non relictis omnibus,cum matura feſtinatione,differat ſe præpare,vt ad Oratorium,ſeù Eccleſiam,ordinatè,& compoſitè,quando, & quomodó debuerit , veniat. Si quis in principio primi Pſalmi non adfuerit. Si quis in choro,male legendo , vel cantando , errauerit, & non ſtatim proſtratus,terram fuerit oſculatus.Si quis non intentus diuino Officio,vagis oculis, & motu irre-

irreligioso, leuitatem mentis ostenderit. Si quis in Ecclesia, dormitorio, vel refectorio, aliquid inquietum egerit, vel ibidém riserit, aut alios ridére fecerit. Si quis lectiones, aut alia, quæ in choro legere, aut cantare debuerat, non præuiderit. Si quis aliud cantare, vel legere præsumpserit, quam quod communis consensus, & vsus approbat. Si quis oculos vagos, vana respiciendo, inhonesté direxerit. Si quis festinantèr non venerit ad omnes actus communitatis, & in principio Capituli non adfuerit; vt pronuntiatis redemptionis nostræ exordijs, corde, & corpore gratias agat Redemptori nostro. Item leuis culpa est, si quis ad curandam Redemptionem captiuorum vadens, otiosa loquutus fuerit, vel egerit. Si quis de via veniens, eàdem hora benedictionem à Prælato accipere neglexerit. Si quis in choro dormierit. Item leuis culpa est, si quis Ecclesiæ, vel altaris ornamenta, aut libros Ecclesiæ negligentér tractauerit. Si indumenta, vel alia concessa fratri, sine eius licentia aliquis acceperit. Si vtensilium, aliquod fregerit, vel perdiderit. Si quis aliquid cibi, vel potus effuderit. Si quis dixerit aliquid, vel egerit, vndé fratres justè offendantur. Si quis potum, vel cibum absquè benedictione sumpserit. Si quis in conuentu horam, qua debet venire, distulerit. Si quis communi refectioni non adfuerit. Si quis aliquid cum juramento affirmauerit, vel negauerit. Si quis eorum, qui officijs deputati sunt, in aliquo negligens repertus fuerit. Si quis in locis prohibitis, silentium non obseruauerit. Et quia culpæ leues, leui pœna puniendæ sunt, pro his,

ac

ac ſimilibus culpis detur pœnitentia, ſecundum quod Prælato videbitur expedire; videlicèt, vnus Pſalmus, aut aliqua ex ordinarijs mortificationibus, vt fratrum pedes deoſculari, & ſimilia.

CAPVT XXVIII.

De graui culpa, & de pœna ei exibenda.

GRauis culpa eſt, ſi quis inhoneſtè, in foro judiciali, cum aliquo ſæcularium contenderit. Si quis frater, cum fratre, intus, vel foris, lites habuerit publicé, vel cum aliquo ſcandalo. Si quis alicui fratrum opprobrium dixerit. Si quis mendacium in materia graui, vel cum alterius præjudicio, de induſtria dixiſſe, depræhenſus fuerit. Si quis ſilentium non tenere, in conſuetudinem duxerit. Si quis culpam ſuam, vel alterius pertinacitèr defenderit. Si quis literas ſcribat, mittat, vel recipiat, vel legat ſine ſpeciali licentia ſuorum ſuperiorum. Si clamans, in clamatione iurgium fecerit. Si quis in illum, à quo pro clamatus eſt, aut in alium, verbis inordinatis, & irreligioſis inuexiſſe, repertus fuerit. Si quis receperit aliquid de his, quæ prohibentur recipi. Si quis rem ſibi collatam celauerit, quem B. Auguſtinus dixit, furti judicio eſſe condemnandũ. Si quis fratri præteritam culpam, pro qua ſatisfecerit, improperauerit. Si quis cum fœmina in loco ſuſpecto, vel in non ſuſpecto, cum muliere ſuſpecta locutus fuerit. Si quis turpem ſermonem, aut vaniloquum dixe-

xerit;præsertim si in vsu habuerit. Si quis pro victu,vel vestitu,vel alia ré murmurauerit. Si quis præceptum obedientiæ in materia de se leui,eleuata tamen ad grauem,transgressus fuerit. Pro huiusmodi, & similibus culpis, veniam petentibus, & non pro clamatis, correctionibus in Capitulo datis,tres dies in pane,& aqua ieiunent. Præter hæc, Psalmi,& veniæ, pro qualitate culparum,à Prælato iniungi possunt. Si quis iurare in curia sæculari,in causis alienis testimonium perhibens, sine licentia Prælati,vel pretio,timore,odio vel amore ausus fuerit,eádem pœna puniatur. Caueat autem quilibet frater,ne proclamet aliquem de crimine aliquo, etiam de auditu,nisi per fratres crimen possit probare. Quod si accusatus negauerit, & accusans in accusatione defecerit, accusans secundum exigentiam culpæ (imó grauiùs)puniatur. Sed ne vitia occultentur, aut impunita maneant, Prælato tamquam patri denuntiet secretò,quæ viderit,vel audierit.

Ad culpam grauem etiam pertinet, si quis aliquod peccatum mortale(quod absit)sine scandalo commisserit,vt qui ieiunium Ecclesiæ, aut officium recitandũ omisserit(dummodo huiusmodi peccato non sit aliqua pœna in Constitutionibus assignata,vel aliàs peccatum grauiùs non appareat)túnc Prælatus, seu Commendator,ad quem de culpa graui spectat iudicium, poterit illum,vel pœna carceris, vel alijs condignis, suo arbitrio,castigare. Si veró delictum sit grauiùs,Commendatoris erit præsenti remedio illum prouidere, & superiores, ad quos spectat certiores facere, sub pœna
suf-

ſuſpenſionis ab officio per vnum menſem.

CAPVT XXIX.

De grauiori culpa, & de pœna ei debita.

GRavior culpa eſt, ſi quis per contumaciam, vel manifeſtam rebellionem, in obediens maiori ſuo extiterit, vel cum eo proterué contendere, auſus fuerit. Si quis percuſſor. Si quis ſine licentia Prælati exierit á monaſterio: vel cum licentia abiens, vltra terminum aſſignatum notabilem moram, ſine rationabili cauſa, fecerit, Si quis latro repertus fuerit. Si quis ad talos, carthas, aut alios ludos inhoneſtos ludare præſumpſerit. Si quis ebrius aliquando deprehenſus fuerit. Si quis crimen capitale, ſeu mortale, cum ſcandalo commiſſerit Si quis frater noſtri Ordinis obedientiam ſibi, vel alteri iniungendam; vel vt ſit Conuentualis, vel vt amoueatur à monaſterio, vel in aliquo officio conſtituatur, vel promoueatur, vel vt cum externis commoretur, per perſonas ſæculares, aut per eas, quæ ſunt extra obedientiam Ordinis noſtri, procurauerit, vel per ſe, vel per interpoſitam perſonam. Si quis paſſus moleſtiam, iniuriam, aut quoduis aliud damnum ab aliquo fratre, ad parentes, vel alios ſæculares conqueſtus fuerit. Si quis reuelauerit conſilia, vel ſecreta noſtri Ordinis, nunquam de cætero ad conſilia Ordinis admittatur, nequé vocem habeat in elec-

tionibus. Si quis procurauerit, vt ipse vel alius eximatur á correctione Ordinis nostri. Si quis fratrem nostri Ordinis, vel Ordinem nostrum in aliquo religiosis, vel sæcularibus personis diffamauerit. Si proclamatus fuerit, & conuictus sponte sua, & veniam petens, immanitatem sui sceleris lamẽtabiliter proferat,&vt dignam accipiat suis meritis pœnitentiam, vapulet, quãtum Prælato placuerit, & per duos menses, omnibus sextis ferijs,in refectorio ad communem mensam cum cæteris fratribus non sedebit, sed in me dio refectorij, super nundam terram,solùm panẽ,& aquam comedat, absqué alia relaxatione: alijs veró diebus, sicùt alijs fratres, reficiatur. Et hoc tempore sit omnium nouissimus in conuentu:vt qui ob culpam perpetratam non confunditur membrum diaboli fieri, ad tempus (vt resipiscat) seiungatur á consortio ouium Christi: vt agnoscat,se itá seperatum à consortio fratrum, priuari consortijs Angelorum. Talis, quandiú erit in hac pœnitentia, nullo officio fungatur, ante plenam satisfactionem; nequè in aliquo vocem habeat, nisi in sui accusatione. Transactis veró prædictis mensibus, & peracta huiusmodi pœnitentia, ad pristinum statum restituatur. Si quis vero in peccatum carnis lapsus fuerit, vel literas Vicarij generalis nostri Ordinis, aut Prouincialis falsificauerit: aun in Prælatum suum manus iniecerit: aut arma offensiua habuerit, vel portauerit; aut in sententiam excommunicationis ritè latam scienter inciderit, vel fratrem á carcere extraxerit, aut instrumentum ad exeundum ministrauerit;
carce-

carcerali cuſtodia per vnum annum, & compedibus ferreis detineatur, & omnibus ſextis ferijs in pane, & aqua, ſuprá dicto modo, ieiunet. Si quis ob aliquod graue crimen, in carcerem mittatur, in primis ordinario ſcapulario, & caputio exuatur, quouſqué á carcere liberetur, & ſi oportuerit, corona etiam priuetur. Si quis autem conſpirator extiterit; in omni vita ſua ſit inhabilis ad adminiſtrationem aliquam temporalem, aut ſpiritualem Ordinis noſtri, abſquè ſpe reſtitutionis; & agat pœnitentiam grauioris culpæ. Super his tamen in omnibus poteſtas relaxationis (ſi aliqua facienda fuerit) ſolo arbitrio Vicarij generalis, vel Prouincialis relinquitur: in quantum de jure poteſt, & ſanctorum Patrum inſtituta non prohibent. Si quis tamen frater, non malitioſe, ſed in veritate, aduerſus maiorem ſuum aliquid ſciuerit, quod tolerari non deceat, priùs ſecretè eum, cum omni humilitate, admoneat; quod ſi admonitus, ſe corrigere neglexerit, Prouinciali, vel Viſiatatori ſignificet. Alitér ſubditi Superiores ſuos diffamare non audeant, nequè etiam niſi de notorijs, accuſare, & quæ poſſint perfratres claré probare. Quód ſi in probatione defecerint accuſantes, non tantúm pœna accuſato debita ' imó acriùs puniantur, & pœnæ prædictæ culpæ, ipſo facto, ſubiaceant. Si quis præceptum obedientiæ á Prælato poſitum, in re grauiori tranſgreſſus fuerit, per vnũ menſem incarceretur, & voce actiua, & paſſiua per vnũ annũ priuatus ſit. Quã pœnã ſi in totum non adimpleuerit, ſit inhabilis ad aliquod officium obtinendum per-

tres annos. Si quis in materia graui, quæ obligat ad mortale, aliquid emerit, vel mutué acceperit, sine licentia Commendatoris; vel vsuram commisserit, pœna grauioris culpæ per vnum annum subiacebit.

Quarè, vt hoc obseruetur, præcipimus sub pœna suspensionis ab officio per vnum mensem, vt in quolibet conuentu sit locus carceri deputatus, vndiquè munitus, & tutus, non tamen inhumanus, ita vt religiosorum salus spiritualis, vel corporalis periclitetur: in quo sint instrumenta necessaria ad maiorem securitatem, & pœnam delinquentium. Teneanturquè Visitatores, suæ visitationis tempore, carcerem visitare, & omninó prouidère, vt hæc constitutio executioni mandetur. Nullus verò fratrum, sub pœna grauis culpæ per vnum diem, sine Superiorum consensu, audeat incarceratos visitare, aut àlloqùi. Curet tamen Prælatus per se, vel per alium religiosum prudentem, & pium, à se designatum, oppressos carcere consolari, & ad patientiam cõmouere. Et vt fructum aliquem à suo labore, & inflictu percipiant, libri aliqui deuoti, & spirituales eis conferantur

C A P V T XXX.

De grauissima culpa, & de pœna ei exibenda.

GRauissima culpa est, incorrigibilitas illius, qui nequé culpas timet admittere, & pœnas recusat ferre. Item rauissima culpa est illius, qui ea delicta com-

committit,quibus pœna capitis, aut triremium debetur in ſæculo,vt falſificatio monetæ,& literarum Pontificis,& alia huiuſmodi. Talis à Vicario generali,vel Prouinciali,de conſilio duorum Diffinitorum,vel Prælatorum Religionis,ab habitu excludatur,ſed antea puniendus eſt ſecundum grauitatem delicti,ad arbitrium patris Vicarij generalis,vel Prouincialis, & in carcere detinendus ad minùs tribus mēſibus, antequám ab habitu expellatur. Et deincéps ad habitum non admittatur;ſed exutus habitu ad Summum Pontificem mittatut,tamquám noſtræ ſocietatis indignus.Quod ſi aliqui ſint qui iudicio diſcretorum,in communi,ſine graui periculo, & ſcandalo,tolerari non poſſunt : quale, ſunt ſeditioſi,incorrigibiles,notabiliter fugitiui, & vagabundi,rebelles,inobedientes, & ſimilia crimina perpetrantes, hi ſané á Vicario generali, vel Prouincialis de conſilio duorum Diffinitorum,aut Prælatorum,vel vnius Diffinitoris,& vnius Commendatoris(quod ſemper fieri debet , quando duo Diffinitores commodè conuenire non poſſunt) cum literis dimiſſorijs, ab habitu repellantur, & Ordinarijs locorum denuntientur, vt nota ſit Epiſcopis,vel Archiepiſcopis eorum vita,ac viuendi conſuetudo,morumquè compoſitio.

C A-

CAPVT XXXI.

De Proprietarijs.

CVm Euangelica paupertas religiosis maximé sit necessaria, quam Deo vouerunt; omnis proprietas religioso prorsus detestabilis esse debet. Quocirca nullus frater à vera paupertate potest, nequé debet esse exemptus. Vndè sub excommunicationis maioris pœna, præsenti Constitutione sancimus, ne quis fratrũ professorum aliquid proprium habeat; nequè pecunias, nequè census aliquos, nequé vasa aliqua aurea, vel argentea, nequè illa expendat, nequè consumat absqué sui Prælati licentia: nequè rursus quidquam sine Commendatoris venia vendat, aut emat. Si quid verò ex huiusmodi bonis alicui fratri donatum fuerit ab amicis, vel consanguineis, aut quibusuis alijs personis, quacum qué ratione id receperit, intra spatium viginti quatuor horarum Prælato proprio manifestet, & tradat, vt cõuentui applicetur: & pariter, intra dictas horas, id absqué licentia non consumat. Nequè Superioribus liceat bona aliqua stabilia, tamquam propria, regularibus fratribus concedere, etiam ad vsumfructum. Fratres tamèn itinerantes pecunias portare poterunt, ita sanè, vt quam primúm ingressi fuerint proprium monasterium, in quo sunt moraturi, intra prædictas horas, omnia, & singula Commendatori suo, vel Prælato manifestent.

Qui-

Quicumqué veró frater,ſeù procurator,bona Ordinis quæcumqué,ſeú pecunias receperit, eorum omniũ reddat ſuoCommendatori,atqué conuentui rationem. Vicarij autem generales, aut Prouinciales omnium, quæ receperint ratione ſui officij,Diffinitorio Capituli pariter ſunt reddituri. Ita vt nullús in Ordine noſtro remaneat,quin eorum omnium, quæ ipſe receperit, computum,& rationem reddat. Qui veró contrarium fecerit aut contra ſeriem harum Conſtitutionũ, proprietarius repertus fuerit,ſciat ſe eſſe ſocium Iudæ, & biennio actiua,& paſſiua voce priuandum, & pœnis proprietario, ex jure, taxactis ſubiacère. Et in eo caſu liberam habeat Commendator poteſtatem auferendi bona,aut pecunias proprietarij,in quibus deliquit, eaſqué conuentui applicare. Quod ſi quis (quod Deus auertat) proprietarius mortuus fuerit, ſepultura creat Eccleſiaſtica, & extra cœmeterium ad campos ſepeliatur.

C A P V T XXXII.

De Apoſtatis,& fugitiuis.

AD coërcendam apoſtatarum inſolentiam (præter decreta, hac de re à ſacra Congregatione Concilij, Sanctiſſimi D.N.iuſſu edita, quæ in Ordine noſtro,inuiolabilitèr obſeruari mãdamus) declaramus in ordine noſtro,quoad pœnas infligendas,eos cẽſendos apoſtatas,qui cõtraSuperiorũ obedientiam,vel ſine eorum licentia, cum habitu, vel ſine habitu, cum intentio-

tione redeundi ad monasterium, siue non; quocumquè prætextu, extra suos conuentus vagantur. Quicumquê apostatauerit, aut temeré habitum dimisserit, ipso facto (nisi infra octauum diem redierit, in quo casu potest puniri pœna grauioris culpæ) maneat excommunicatus; quam sententiam præsenti constitutione ex nunc ferimus. Si verò misertus sui, redierit post terminum àssignatum, & humilitér postratus, veniam petierit á Commendatore, & fratribús domus illius, à qua recesserat, ad sequentem pœnitentiam pié recipiatur. Primó enim nudus in Capitulo correctionem recipiat á Prælato; deinde per medium annum in conclaui captus, seu in carcere, absqué vinculis, detineatur: rursus, semèl in hebdomada, abstineat in pane, & aqua: completa autem huiusmodi pœnitentia, sit nouissimus in conuentu, & ad priorem locum non redeat, donéc per patrem Vicarium generalem, vel Prouincialem cum eo fuerit dispensatum; modó dispensatio non fiat ad minús ante duos menses, & quod anni apostasiæ non computentur ei quoad locum, & antiquitatem, nequè paritér illi, quos in alia Religione consumpsit; sed sit inferior omnibus illis, qui plures habent annos in Ordine, quàm ipse habebat quando exiuit. Quód si secundó aufugerit, & redierit, supradicto modo per annum integrum pœniteat, dupliceturquè illi pœnitentia: & pariter id ipsum fiat tertia vice; & tanquam incorrigibilis expelli potest. Et idem fiat, etiam si vna tantùm vice in apostasia per vnum annum integrum perseuerauerit. Quod si excommunicatus celebrauerit, tunc seueriùs

uerius corrigatur. Et qui verè fuerit apoſtata, paſſiua voce per ſex annos careat,nec vnquàm poterit eſſe in Ordine Prælatus. Cæterum ſi Prælatus vehementem in eo proſpexerit pænitentiam, omnibus fratribus pro eo deprecantibus,poterit in parte remittere,ſeu indulgere; ſecundumquod diſcretioni ſuæ viſum fuerit, pro circumſtantia delicti. Apoſtatæ vnius conuentus, non recipiantur à Commendatore alterius conuentus, ſine licentia Prouinciali s:nequé rurſus apoſtatæ vnius prouinciæ,recipiantur in altera; niſi de licentia patris Vicarij generalis,& Prouincialis. Si veró Commendatores huiuſmodi apoſtatas, & fugitiuos contrario modo ſuſceperint,pœnæ ſuſpenſionis ab officio per tres men ſes ſubiacebunt:ſed ſtatim eos remittant cum cuſtodia,& ſecuritate ad conuentum, á quo egreſſi, apoſtatarunt:in quo ſecundùm exigentiam culpæ,puniantur. Si autem conuentus eorum longinqui ſint,detineri debent,quouſqué pater Prouincialis,quid de illis ſit agẽdum,decernat. Nequè pater Vicarius generalis, aut Prouincialis poſſit tales apoſtatas, & fugitiuos á delicto abſoluere,aut eorum cauſam diffinire, niſi priùs ipſius delicti, & criminis commiſſi iudirica cognitione præcedente.Quòd ſi pater Vicarius generalis,aut Prouincialis contrarium fecerint,in proximo Capitulo ſequenti corrigantur. Profugos,aut vagabundos fratres, per iteratas, aut ſcandaloſas fugas à conuentibus ſuis recedentes,perqué notabiles abſentias rebelles, inobedientes,& ſimilia crimina perpetrantes,pater Vicarius generalis,vel Prouincialis in ſua prouincia,de conſilio

& consensu duorum Diffinitorum, seu Commendatorum, ab habitu nostri Ordinis repellat, tanquam nostræ societatis indignos. Ita quidem vt habitu exuti, cum dimissoria ad Summum Pontificem remittantur, vt ab eo ordinem viuendi accipiant, & sic eorum saluti verè consulatur. Si quis in apostasia ordinatus fuerit, vel excommunicatus diuina celebrare contigerit, executione officij perpetuò carebit, nisi ita religiosé deinceps conuersatus fuerit, vt cum eo, authoritate Sedis Apostolicæ, dispensetur, & gaudeat concessione priuilegiorum Ordinis. Illi verò fratres, qui falsificatis literas Generalis, aut Prouincialis, vel literis subreptitijs, Ordines susceperint, aut sine licentia ipsius patris Vicarij generalis, vel Prouincialis, vel eorum vices in hac parte habentium, fuerint ordinati, hi omnes careant spe dispensationis in Ordine nostro, & habitu exuti, à patre Vicario generali, vel Prouinciali, per duos annos sint in carcere detenti, de consilio duorum, vt dictum est; in quo tamén pater Vicarius generalis, in Capitulo generali, cum diffinitoribus, ex iustis, & rationabilibus caussis, poterit dispensare, & misericordia, vti circa eos. Qui autem semel apostatauerit, de cætero ad nullum officium, vel administrationem spiritualem, seu temporalem Ordinis assumatur, nisi per Prouincialem, post quatuor pœnitentiæ annos, fuerit restitutus.

Apostatæ, & fugitiui intra domos nostras nunquam á fratribus nostris familiaritér tractentur, quamdiú in pœnitentia sunt: contrarium veró facientes, pœnam grauis culpæ incurrant. Habeant prætereá, non solùm

Com-

Commendatores,ſed etiam alij religioſi(in caſu neceſſitatis) authoritatem apoſtatas,& fugitiuos cuiuſcumquè prouinciæ apprehendendi: & in hac parte Prælatorum conſcientias oneramus,vt eos omni cura recludere ſtudeant,ſub pœna ſuſpenſionis ab officio negligentibus inferenda.

Si quis cum muliere aufugerit, vel aliàs in receſſu Ordinem publicé diffamauerit; ſi miſertus ſui redierit, vapulet quantum Prælato placuerit, & per annum integrum ſit carcere detentus in compendibus ferreis,& bis in hebdomada comedat panem, & aquam. Quòd ſi aliquis frater aliqua Ordinis bona rapuerit,& ſecum aſportauerit, non tantùm vno anno, vt dictum eſt, in carcerali cuſtodia ſit incluſus, ſed etiam compedibus ferreis tandiú captus detineatur,donec de reatu pœnitendo,& de damno ſatisfaciendo, arbitrio patris Vicarij generalis,vel Prouincialis,pœnitentiam, vel partem pœnitentiæ perègerit.

CAPVT XXXIII.

De incorrigibilibus,& eorum expulſione.

INncorrigibilis ille quidem cenſendus eſt,qui culpas graues non veretur commitere, & tamen pænas pertinecitèr ferre recuſat:vel ille de cuius correctione, non eſt aliqua probabilis ſpes,propter obſtinationem, ſeu inueteratam mali conſuetudinem, vel delicti atrocitatem,vel alias circunſtantias perſonæ. Præterea,ille

dicetur incorrrigibilis,qui ter conuictus, & punitus de aliquibus criminibus grauibus, etiam distinctis, nunquam fuit emendatus. Declaramus item, quod si aliquis,propter peccatum mortale, sit per legitimam sententiam damnatus ad pœnam grouioris culpæ, & ipse recuset eam ferre pertinacitér, habeatur pro incorrigibili.

Incorrigibiles omninò expellendi sunt, postquam enim de eorum emendatione,&profectu nulla est probabilis spes,iuxta Apostoli sententiam : Auferatur à nobis malum,ne malos generet, & ouis moruida abijciatur,& membrum putridum præscindatur : ne sana indé inficiatur, & corrumpatur. Quapropter statuimus, vt qui tertia vice peccatum incontinentiæ commiserit(& idem iudicamus de eo, qui hoc peccatum semèl,cum notabili, & publico scandalo sæcularium, perpetrauerit;quia huiusmodi publicatio,& scandalũ, signa sunt aliorum similium occultorum peccatorum, & vehementér præsumitur de eius incorrigibilitate)ab habitu expllatur,iuxta indultum fælicis recordationis Pij Quinti,vt sit satisfiat reipublicæ scandalo, & detrimento nostræReligionis,

Si aliquis in peccatum indecibile (quod Deus auertat)lapsus fuerit,propter huiusmodi criminis grauitatem,& fœditatem,& quia maximé nociuum est communitati,de eoqué raró emendatio præsumitur,decernimus,vt qui de hoc peccato conuictus fuerit, ab Ordine expellatur. Primùm tamen coram omnibus,dúm dicitur Psalmus:Miserere mei;grauitér flagelletur, & pos-

posteà,stuppis nudo dorso appositis, aliquantulùm cõburatur:quæ pœna, non solum delinquentibus,sed etiã veré,& proprié idem delictum aggredientibus, applicetur:vtrumquè enim,iuxta Regias leges, æquale putatur. Et volumus, vt in hoc crimine singulares testes admittantur,dummodò sint ad minus tres, & etiam si sint complices. Si verò aliquis vehementér fuerit suspectus,carceri perpetuó tradatur:nisi aliàs per Diffinitorium generale cum eo benigné fuerit dispensatum. Denique, quoties qúis aliquod delictum grauius, & atrotius perpetrauerit,in patris Vicarij generalis, vel Prouincialis,& duorum Diffinitorum,aut Prælatorum arbitrio sit iudicare,an ab Ordine expeli debet.

Ante incorrigibilium expulsionem primùm tribus mensibus,post sententiam expulsionis latam, incarcerentur,& alijs pœnis, secundum suorum scelerum grauitatem condignis,afficiuntur:nisi hoc reclusionis tempus iudices diminuendum iudicauerint, pensato tempore,quo quis,ante expulsionis sententiam, in carcere detentus est. Et omninó in his casibus iuridicè formetur processus, causaqué legitimè conclusæ aduersus eos,expulsionis sententia proferatur; & publicè legatur coram conuentu,& disciplina conuentuali castigati,habitu exuantur.

Et ne impunitæ expulsionis spe, rebelles peccare contingat;si aliquis sententiam à Superioribus latam acceptare recuset, nolens se eorum correctioni subijcere,statim contra eum expulsionis sententia proferatur. Priús tamen pro in obedientiæ,& contumaciæ de-

lic-

licto,per vnum annum in carcere retrudatur, vbi absti nentijs , disciplinis , & alijs pœnis,quoùsquè ad se redeat,affligatur. Si verò intra prædicti temporis spatium fuerit emendatus , cessante expulsionis pœna, è carcere,vbi Prælato visum fuerit,extrahatur. Quod si pertinaciter perseuerauerit;transacto anno, & non anteà,ab Ordine expellatur.

Nemini religiosorum appellatio , aut supplicatio à sententia,aut pœna,iuxta nostrasConstitutiones ei imposita,á patre Vicario generali , vel alijs Superioribus, admittatur; sed statím executioni mandetur.Nõ enim (sicut per Bonifacium Papam Octauum,Religionibus mendicantibus indultum est; nostræque etiam per participationis Bullam concessum)licet religiosis à regulari correctione appellare. Licebit tamen appellatio, quandò pœna imposita fuerit expulsionis ab habitu. Licebit item in quauis alia grauissima , quæ nimiùm excedens videatur,per modum quærellæ , ad Superiorem recurrere.

CAPVT XXXIV.

De aliquibus declarationibus in pœnis prædictis obseruandis.

IN primis declaramus , quod cùm in nostris Constitutionibus pœna priuationis imponitur,minimè intelligatur ante judicis sententiam latam. Et cúm dicitur quis priuari voce;tàm actiua, quám passiua intelligatur

gatur. Voce veró priuatus, in Capitulo post non Sacerdotes suas culpas dicat,& statim recedat à Capitulo. Priuatus loco, in vltimum intra suum gradum collocetur: verbi gratia; si sit Sacerdos, in vltima Sacerdotum sede, vel si Prælato visum fuerit, in alia inferiori. Circa has etiam pænas in communi decèrnimus, vt fratribus assuetis leui culpæ, pæna leuis mutetur in grauem, & grauis in grauiorem, & sic de singulis; ita vt semper, crescentibus culpis, augeatur & pæna, donéc emẽdetur, aut (si opus fuerit) expellantur. E contrá veró (cum pœnæ harum Constitutionum, potissimúm ad fratrum emendationem, & correctionem dirigantur) qui pænitentiam sibi iniunctam humilitér adimpleuerit, & emendationis indicia dederit, á Superioribus, cognita veritate, pars pœnæ infra dimidiam; & non amplius (& hoc quandò actu iam eam adimplet) relaxari, mitigari, & modificari poterit, secundúm virtutis signa ab eo exhibita. Teneaturquè inferior Prælatus, superiori, á quo est posita pœna, fidem facere de adimpletione, executionequè earum pœnarum, quæ ab eo fuerunt delinquentibus applicatæ.

In casibus, in quibus per nostras Constitutiones non est aliqua pœna taxata, secundum qualitatem, & circumstantiis delicti, à Superioribus suo arbitrio pœnæ applicentur: seruata tamén mensura, & proportione, cum pœnis in his Constitutionibus taxatis. In omnibus pænis illud etiam obseruetur, vt inspectis personis, delictis, & alijs circumstantijs, pœnæ vel augeantur, vel diminuantur. Cùm in Constitutionibus oficij, & vocis

cis priuatio imponitur,si quis officium, vel vocem non habuerit,æqualis in alijs ei pœnitentia iniungatur, in quantum fieri possit, & idem fiat in similibus casibus. Suspensi verò ab officio, in suis conuentibus tempore suspensionis non permaneant, sed in alium mittantur. Cùm in nostris Constitutionibus simùl tám Prælato, quàm subdito transgredientibus aliqua imponitur pœna,id nullàtenús intelligendum est de subditis, qui expresso Prælatorum mandato id fecerint.

CAPVT XXXV.

De absolutione apostatæ, vel excommunicati.

APostata,vel excommunicatus, quando absoluendus sit, genibus flexis sit coram Prælato stante, & habeat nudum dorsum,& scapularium super caput, & faciem, & tenendo virgas, vel disciplinam manu Prælatus,dicat versum Psalmi, Miserere mei: & conuentus respondeat versum sequentem, & in fine versuum,percutiat Prælatus virgis carnem nudam. Finito Psalmo,dicat: *Kyrieeleison,Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et nenos*,&c. *Saluum fac*,&c.*Dominus vobiscum*,&c. *Oremus. Præsta quæsumus,Domine, huic famulo tuo dignæ pœnitentiæ fructum, & Ecclesiæ tuæ sanctæ;à cuius integritate deuiauit,restitue: vt peccatorum cōmissorum veniam consequendo, reddatur innoxius. Deus, cui proprium est misereri semper,& parcere; suscipe deprecationem nostram, vt quem delictorum, & excommunicationis*

tionis catena constringit, miseratio tuæ pietatis absoluat Per Christum Dominum nostrum. Amen. Tunc debet recipi iuramentum, quod erit obediens præceptis Ecclesiæ,& sui Superioris. Deinde, dicat, *Confiteor Deo:* & Prælatus *Misereatur tui. Absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Et ego authoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & authoritate, qua fungor, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, quo teneris, proptèr apostasiam, vel violentam manuum iniectionem, vel proptèr contumaciam* (semper exprimendo causam) *& ab omnibus, transgressionibus, excessibus, seu omissionibus Regulæ, & Constitutionum nostrarum, quantum ego possum: & quod non possum, suppleat, & perficiat omnipotens Sacerdos, & Summus Pontifex Iesus Christus, & restituo te societati fratrum nostrorum, & communioni, & vnitati fidelium Christi, & dispenso tecum in omni irregularitate, quam incurristi: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et postea iniungat Prælatus pœnitentiam, vt sibi visum fuerit.

CAPVT XXXVI.

De recipiendis ad Ordinem.

POstquam vitæ nostræ ratio proposita est restat, vt de his, qui ad hoc nostrum viuendi institutum accedunt, aliqua decernamus. Et quoniam ad Religionis profectum plurimum refert, vt venientes ad nos ma-

maxima cum discretione recipiantur. In primis ordinamus, vt in vnaquaquè prouincia tantùm sit vna domus ad præscriptum decreti sanctæ memoriæ Clementis VIII. hac de re editi, ab is, ad quos pertinet, designata, pro nouitijs instruendis, in qua, si nouitiorum numerus notabilitèr augeatur, designetur alia domus, vbi nouitèr recipiendi similitér instruantur. Is ordo seruandus est ergá eos, qui habitum nostri Ordinis exposcunt. Primó quidem per duos idoneos fratres, ad hoc specialiter deputatos á Commendatore, & conuentu, in moribus, & sufficientia, genere, animi candore, & inclinatione diligenter examinentur: de examinatis verò Commendatori, & conuentui, ab eisdem fratribus vera, & quæ sinceré nouerint, recenseantur, secundùm Deum, & proprias conscientias. Nequè vllus ad nostri Ordinis habitum admittatur, sine Prouincialis licentia in scriptis (nisi in casibus aliquem recipere, differri nõ conueniat: tunc enim Commendator, cum consiliarijs, poterit habitum tradere; & statim id prouinciali exponere) & nisi linguam Latinamità sciat, vt possit facultatem aliam profiteri, vel aliás sit per illustris. Tales Commendator in Capitulo ad recipiendum habitum Ordinis proponat, & consensum maioris partis omnium fratrum accipiat; ita vt nullus recipiatur in Ordine, nisi de consensu maioris partis ipsius Capituli. Æqualibus tamén suffragijs concurrentibus, ab Ordine expellatur. Et priùs constet recipiendum non esse coniugatum, nequè seruum, nequé ære alieno obligatum, nequé in alia Religione professum, nequè occultam,

tam, aut contagiosam habentem infirmitatem, nequè irregularem, nequé spurio concubitu procreatum. Nequè etiam ille, qui in nostro Ordine semél receptus, à nouitiatu recessit, secundó recipiatur, donéc constet de causa recessus, ex informatione illius conuentus, in quo habitum priùs recepit. Coniungati, altero coniuge in sæculo manente, similitér non recipiantur, nequé alterius Ordinis professi, nisi per Capitulum prouinciale, consideratis prius suorum Ordinum priuilegijs, & facto prudenti examine de causa sui transitus; quia non nisi raró (experientia testante) leuitér fieri solet. Similitér, qui alias, de iure, ab ingressu Ordinis prohibiti sunt, non recipiantur.

Item, qui semél per suffragia ab habitu, vel professione fuit exclusus, iterum nequè ad suffragia admittatur, nisi priùs Prouinciali proponantur causæ. Omninò in receptione nouitiorum seruetur decretum Sixti Papæ Quinti, additis declarationibus, siuè fauoribus aliorum Pontificum, & si quæ deinceps addantur. Quarè nullus recipiatur, nisi præcedente informatione, secundum prædictam Bullam Sixti Quinti; factisquè, iuxta prædictas Apostolicas ordinationes, informationibus, alijsqué omnibus iuxta eas præstitis. Huiusmodi defectus habentibus ingressum nostri Ordinis penitùs denegamus, nisi per Sedem Apostolicam fuerit cum eis dispensatum. Si veró tacita veritate, vel expressa falsitate fuerint recepti; quocumquè tempore id cognoscatur, ab Ordine nostro penitùs repellantur. In supér diligentèr inquiri præcipimus, an parentes no-

nouirij recipiendi ita sint paupertate oppressi vel probabilitèr timeatur, quod ita in posterùm egebunt, vt absqué eius præsidio viuere non valeant: & in tali casu nequaquàm recipiatur.

Vt autèm prædicta omnia seruentur, antequàm nouitij ad habitum admittantur, diligentér ab eis exquiratur, àn habeant aliquem defectum ex suprà dictis; teneanturquè Prælati ante receptionem, siué eorum professionem, sufficientem de prædictis omnibus informationem facere, sub pœna priuationis, vel suspensionis ab officio, secundum qualitatem culpæ. Informationes nouitiorum sufficientér, & iuridicé fiãt, & vt Pontificum decreta integrè adimpleãtur, sequens forma seruetur, & omnia hæc inquirantur: scilicèt. Vtrùm sit bonis, & honestis moribus imbutus; & non facinoribus assuetus. Item quod nunquam commiserit aliquod delictum; furtum, scilicèt, homicidium, vel alia similia, circa quæ præcesserit infamia, vel facta fuerit iudicialis inquisitio, vel proptér illa fuerit iudicialitèr punitus, aut meritó timeatur, & pœnis condignis punietur. Itèm, vtrùm sit liber ab obligatione reddendi quælibet latrocinia, propter quæ cum fundamento timeatur, post eius ingressum monasterium, vel Ordinem molestiam vllam fore passurum. Item, an sit ære alieno suprá vires suas grauatus. Item, vtrúm habitum recipere velit cum vero animo Deo famulandi, & non animo fugiendi inconuenientes aliquod ex suprà dictis. Item, quod tám ipse, quám eius parentes, nulla notentur infamia. Item, an descendat

ex parentibus, auis aut proauis, vſque ad quartam generationem, qui ſeruitutem contraxerint, vel fuerint infecti aliqua macula Iudæorum, Sarracenorum, aut Hæreticorum, vel aliqua ſecta ex damnatis; vel etiam fuerint proptèr hoc ab hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus puniti, & condemnati. Item, an ſit ſpurius. Item, an eius parentes ſint egeſtate oppreſſi, vel probabilitér credatur, quod poſtea egebunt, ita vt meritò timeri poſſit, quod in Religione exiſtens, aliquam perturbationem animi patietur.

Aduertere tamen debent Prælati, vel ij, qui de eorum commiſſione prædicta inquirunt, quod debent interrogare teſtes de diuturna cognitione illius, de quo fit informatio, & de modo quo prædicta omnia norunt: ſcilicét, vel ex crebra conuerſatione cum illo; vel ex notorietate, & publicitate. Debent etiam his interrogationibus alias addere, ſecundùm ius commune requiſitas, videlicèt, de ætate ipſius teſtis, & zelo iuſtitiæ, quo teſtis ſuũ dictum deponit, ita vt non ratione odij, amicitiæ, vel inimicitiæ, vel alicuius rei ſimilis, ſuũ præbeat teſtimonium. Et tandẽ diligẽtér curet, quod teſtes ſint habiles ad teſtimonium dicendum, & non impediti aliquo iuris impedimento, præmittendo ante omnia eorum iuramentum, tamquam ſimplicitér neceſſarium in qualibet teſtum examinatione. Non fiant informationes huiuſmodi interuentione ſcribæ ſæcularis, ſed fratres noſtri, vt notarij publici à Religione conſtituti, eas exequantur.

Prohibemus autém, ne quis Commendator, mu-

lier

lierem ad nostrum habitum recipiat, neque ad professionem, nisi de speciali licentia in scriptis patris Vicarij generalis, aut in articulo mortis, & seruatis suprapositis conditionibus.

CAPVT XXXVII.

De modo, & cæremonijs, quibus habitus conferri debet.

APprobatus à maiori parte cōuentus ad pedes Cōmendatoris in Capitulo humilitèr prostretur; & interrogatus, quid quærat? Respondeat: *Misericordiam Dei, & vestram.* Quo erecto, Prælatus exponat ei austeritatem Regulæ, labores, difficultates Religionis, & quam arcta, & rigorosissima sit. Quod si respondeat, se velle Deo seruire, & habitum immaculatæ Virginis Mariæ defferre, & cuncta seruare, prout diuina concesserit clementia. Tunc dicat Prælatus: *Dominus qui incæpit, ipse perficiat*: & conuentus respondeat. *Amen.* Tunc exuat eum Prælatus sæculari veste, dicens: *Exuat te Deus veteri homine, cum omnibus actibus suis.* Resp. *Amen.* Rursus Prælatus teneat habitum Religionis in manibus, & dicat. *Ego, authoritate Domini nostri Iesu Christi, & authoritate Apostolorum Petri, & Pauli, & authoritate mihi commissa trado tibi habitum nouitiorum Ordinis nostri: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et conuentus respondeat, *Amen.* Et quando induit scapularium dicat.

cat: *Induat te Deus nouo homine; qui secundum Deum creatus est in iustitia sanctitate, & veritate.* Deinde Cantor incipiat Hymnum: *Veni, Creator Spiritus, &c.* A cuius primo versu, vsque ad finem omnes genua flectant.

Si in Ecclesia induitur nouitius, prosternat se ante altare, aliàs sit prostratus ante Prælatum, & Hymnus non cantetur. Deinceps Prælatus dicat. Vers. *Emitte Spiritum tuum, Domine, & creabuntur.* Resp. *Et renouabis faciem terræ.* Vers. *Saluum fac, &c.* Resp. *Deus meus, &c.* Vers. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* Resp. *A facie inimici.* Vers. *Domine exaudi, &c.* Resp. *Et clamor meus ad te veniat.* Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione, docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere; & de eius semper consolatione gaudere. Prætende Domine, famulo tuo sæculo renuntianti, dexteram tuam cælestis auxilij: vt te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, assequatur. Per Christum Dominum nostrum.* Resp. *Amen. Oremus. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum benedicere digneris, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ Religionis imponimus: vt te largiente, & deuotus in Ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum.* Resp. *Amen.* Tandém aqua benedicta aspergatur, & ad osculum pacis deferatur à Magistro, & vltimum habeat locum in conuentu, & tempus probationis assignetur ei a Commendatore, & ipse austeritatem Ordinis, & fratres-

diligentem, pium, & doctum in eorum instructione præponat, qui spiritu, feruore, & discretione polleat, & qui suauitate,& seueritate pro rerum,& personarum qualitate, vti optimè noscat: qui communes Ordinis labores assiduè possit subire; & denique, qui perfectionis viam verbo, & exemplo valeat edocére: & qui eos debitè, quæ religionis suæ sunt, doceat, ad diuina adhortetur; in Ecclesia excitet, & in quibus se habuerint negligentèr, verbo, vel signo; eos studeat emendare. Et vt vniformitas in toto Ordine seruetur, statuimus, vt nouitiorum instructio à Religione tradita, in omnibus debitæ executioni mandetur. Curent deinde Prælati pro nouitiorum Magistris, Sacerdotes perfectionis,& regularis obseruantiæ studiosos deputare, vt in eorum exemplis nouitij spiritualitér ædificentur: qui nunquam cum nouitijs loquantur, sub pœna panis, & aquæ, pro prima vice, per vnum diem: quod si reinciderint, augeatur pœna ad arbitrium Commendatoris.

Nequé vnquam occupentur nouitij in officijs, quæ cum sæcularibus communicationem requirant. Necessaria, prout poterit Magister, debet illis à Prælato procurare. De apertis negligentijs, cùm ante eum veniam petierint, dare pœnitentiam, vel eos in suo Capitulo corrigere, & emendare possit. Humilitatem cordis, & corporis doceat eos habere, exemplo Redemptoris nostri, dicentis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Frequentér, puré, & circumspectè doceat eos confiteri; ac etiam Euchari-

S tiam

tiam sumere: & solus eorum confessiones audiat, nisi in casibus exceptis cap. 24. Doceat rursùs eos sine proprio viuere, propriam voluntatem deserere, & obedientiam in omnibus obseruare, pro voluntate sui Prælati adimplenda. Quonammodo vbiquè in omnibus nouitij se gèrere debeant, instruendi sunt à Magistro, blando sermone, & cum omni charitate. Quomodo sibi danti aliquid, vel auferenti, malé, vel benédicenti, prostrari debeant. Qualitér ad cællas se contineant: vt oculos sublimes non habeant. Quomodò, vel quid orent, & quam silentèr, vt alios non perturbent, aut impediant. Quomodò in Capitulo, vel vbicumquè fuerint reprehensi á Superiore, veniam petant; & si fratrem suum scãdalizauerint, statim iaceant prostrati ante pedes eius, donéc placatus erigat ipsos. Instruendi prætereà sunt nouitij, vt cum nemine contendere audeant; & quod in omnibus Magistrò suo obediant. In processione socium sibi collateralem attendant; & non loquantur locis, & temporibus interdictis. Neminem penitùs iudicent, sed si quæ viderint ab vllo fieri (licet mala appareant) bona suspicentur, vel bona intentione facta: sæpe namquè humnum fallitur iudicium. Nequè loquantur de absente, nisi quæ bona sunt. Discilplinas frequentér suscipiant, non solum eas, quæ ex vi Constitutionis inqualibet hebdomada communitér suscipiuntur, sed etiam quando sunt communicaturi. Diligenter res omnes monasterij custodiant. Duabus manibus bibant & sedendo. Intra annum probationis Psalmodiæ, Re-

gulæ

gulæ B. P. N. Augustini, cæremonijs, & diuino officio sint intenti, in quibus diligentér studeant. Inter alia verò cauere debent superiories Prælati, ne (inconsulto Magistro) circa nouitios, aut eorum directionem aliquid disponant, aut agant; & præcipuè ipsos Magistros foueant, & suo fungi munere liberé concedant, ne ab alijs despectui habeantur. Nullus religiosorum nouitijs aliquid iniungat, vel eos audeat corrigere: sed si quis in illis aliquid culpabile deprehenderit, Prælato, aut Magistro denuntiet, vel in die Capituli conuentualis, ante eius ingressum, animaduertat, etiam si sit Vicarius ipsius conuentus; ita vt solus suus Magister eos corrigat, admoneat, & emēdet. Et etiam Commendator summa cura circa nouitiorum instructionem debet inuigilare: quare eorumdomum, ipsosquè nouitios assiduè debet visitare, & quærere ab ipsis de oratione mentali, & vocali, & mortificationibus, de humilitate cordis, & corporis, & de alijs ad eorum instructionem pertinentibus. Item nouitij, nec intersint Capitulo, sed in ipso eorum domicilio Commendator, vel Magister ipsorum culpas audiat, diligentér bonis moribus instruendo, & charitatiué illorum errata corripiendo.

CAPVT XXXIX.

De Professione.

POstquam aliquis Magistri nouitiorum curæ commissus est, austéra & difficiliora, iuxta Regulam,

& Constitutiones ei facienda, vt probetur, imponat; inuigilians diligenter animi eius propensionem agnoscere, mores, docilitatem ingenij, aut ineptiam, si humilis corde sit, ac deuotus. Si autem contumacem, rebellem, & inobedientem viderit, vel ad quoduis aliud vitium inclinatum, quod sibi, & alijs confratribus ruinæ occasio esse possit, statim Commendatori denuntiet, qui super ea re maturo habito consilio, proposita illi, & conuentui causa eius expulsionis, ipsum ab habitu, & ab Ordine expellat, restituens illum primo statui, in quo erat quando venit ad Ordinem. Si verò ipsum agnoscat probum, bonæ indolis, deuotum, ac piũ, Commendatorem similitér certiorem faciat, sexto probationis mense transacto, & tunc consiliarijs conuentus, vná cum Commendatore congregatis in vnũ, referat, quæ expertus est in nouitio bona; & idem faciat decimo mense transácto, ac de communi consensu Commendator illum conuentui proponat duobus mensibus ante professionem, & per secreta suffragia, per schedulas, aut fabas, ad professionem admittatur; postquam decimum sextum ætatis, & integrum probationis compleuerit annum, maiori conuentus parte illum approbante.

Præcipimus insupèr sub excommunicationis sententia Prælato, vt quando vocatur nouitius ad professionem suscipiendam, protestetur eidem, quod professio obligat eum quatuor votis essentialibus, Obedientiæ, Castitatis, Paupertatis, & manendi in terra Sarracenorum (si opus fuerit) pro redimendis Christianis captiuis:

uis:& viuendi secundúm Regulam S.P.N. Augustini, & Constitutiones Ordinis nostri;non proút in vno,vel alio conuentu seruantur, sed prout in illis continetur. Et si his pensatis noluerit profiteri, vel si intra annum probationis voluerit ad sæculum reuerti, vel admonitus,mores nouitij Religioni non expediant, Prælatus, causa expulsionis patribus consilij proposita,tonsuram radat, & exuat eum habitu,dicendo: *Ego authoritate Domini nostri Iesu Christi, & authoritate Apostolorum Petri,& Pauli,& authoritate mihi tradita, exuo te habitu nouitiorum nostri Ordinis, & ab illius obseruantia te absoluo, & restituo te in priorem statum sæcularem, in quantum possum. In nomine Patris,& Filij, & Spiritus Sancti, Amen.*

Quod si aliquando oporteat in aliquo graui casu,ac raró,patribus consilij rationem non reddere de causis, ob quas nouitius aliquis debeat expelli,tũc ille ex consilio Prouincialis,& cum consensu Commendatoris,& Magistri nouitiorum,dimitti poterit. Si veró voluerit permanere in Religione sequenti modo detur illi professio. Cantato Offertorio (si in Ecclesia sit solemnitér) adducatur nouitius per eius Magistrum, vel aliquem alium antiquum fratrem ad gradus altaris, & à Prælato expolietur caputio,pallio,& scapulario dicendo. *Exuat te Deus veteri homine, cum omnibus actibus suis*. Deindé benedicantur vestes,hoc modo. Vers. *Ostende nobis Domine*,&c.Resp.*Et salutare tuum*,&c.Vers. *Dominus vobiscum*,&c.*Oremus.Domine Iesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es:obsecramus immen-*

immensæ largitatis tuæ abundantiam, *vt hoc genus vestimentorum quod sancti Patres ad innocentiæ*, *& sanctitatis indicium ferre sanxerunt,ita bene ✠ dicere digneris,vt qui hoc vsus fuerit te induere mereatur. Qui viuis,& regnas*,&c.Resp. *Amen.* Deinde aspergat aqua benedicta. Tunc flexis genibus, nouitius ter dicat hunc versum: *Suscipe me*, *Domine,secundum eloquium tuum,& viuam,& non confundas me ab expectatione mea.* Et ter respondeat conuentus. *Suscepimus*, *Deus*, *misericordiam tuam in medio templi tui. Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui sancto. Sicut erat in principio*, *& nunc*, *& semper*, *& in sæcula sæculorum. Amen.* Et dum nouitius dicit versum: *Suscipe me*, &c. flectat genua, & postea se erigat, dúm conventus prosequitur: *Suscepimus*, &c. vsquè ad finem Vers. *Gloria Patri*, &c. Et hoc fiat ter, vt dictum est. Deindé cantetur à choro Psalm. 19. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, &c. *Gloria Patri*, &c. Posteà induat eum Prælatus vestibus benedictis, dicens: *Ego authoritate Domini nostri Iesu Christi*, *& authoritate Apostolorum Petri, & Pauli,& authoritate ab Ordine mihi commissa, do tibi habitum professorum Ordinis nostri. In nomine Patris*, *& Filij & Spiritus sancti.* Resp. *Amen.* Et quando Prælatus religiosum incipit induere, dicat: *Induat te Deus nouo homine*, *qui secundum Deum creatus est in iustitia,sanctitate,& veritate.* Quando veró imponitur corrigia, dicat: *Cum esses iunior cingebas te*, *& ambulabas vbi volebas*, *cum autem senueris*, *alius te cinget: in nomine Patris & Filij ✠ & Spiritus sancti.* Resp. *Amen.*

Amen. Quando veró induitur nouitius pallio, dicat: *Accipe pallium laudis, pro ſpiritu mœroris, & vocaberis fortis iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum: in nomine Patris, & Filij ✠ & Spiritus ſancti.* Reſp. *Amen.* Cúm veró caputio, dicat: *Qui ſequuntur agnum ſine macula ſunt, & ambulant cum eo in albis: ideó ſint ſempèr tua veſtimenta candida, in ſignum internæ puritatis: in nomine Patris, & Filij ✠ & Spiritus ſancti.* Reſp. *Amen.* Tunc proſtretur nouitius, & Prælatus dicat. *Oremus. Deus miſericors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, ſine quo nihil ſanctum inchoatur, nihilquè boni perficitur: adſint noſtris precibus aures pietatis tuæ, & hunc famulum tuum, cui in tuo ſancto nomine habitum ſanctæ Religionis noſtræ impoſuimus, á mundi impedimento: & ſæculari deſiderio defende, & concede ei, vt in hoc ſancto propoſito deuotus perſiſtere, & remiſſione peccatorum cæpta, ad electorum peruenire valeat conſortium. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Reſp. *Amen.* Deindè dicatur Pſalmus: *Ecce quam bonum*, &c. *Gloria Patri*, &c. Quo finito, Prælatus incipiat Litanias, & conuentus reſpondeat, vt ſequitur.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Chriſte audi audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus. Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus. Miſerere nobis.

San-

Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix. ora.
Sancta Virgo Virginum. ora.
Sancte Michaël. ora.
Sancte Gabriël. ora.
Sancte Raphaël. ora.
Omnes sancti Angeli,& Archangeli. Orate pro nobis.
Omnes sancti Beatorum Spirituum ordines. orate
Sancte Ioannes Baptista. ora.
Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ. orate.
Sancte Petre. ora.
Sancte Paule. ora.
Sancte Andræa. ora.
Sancte Iacobe. ora.
Sancte Ioannes. ora.
Sancte Thoma. ora.
Sancte Iacobe. ora.
sancte Philippe. ora.
sancte Bartholomæe. ora.
sancte Matthæe. ora.
sancte Simon. ora.
sancte Thadæe. ora.
sancte Matthia. ora.
sancte Marce. ora.
sancte Luca. ora.
sancte Barnaba. ora.
Omnes sancti Discipuli Domini. ora.
Omnes sancti Innocentes. orate
sancte Stephane. ora.

sancte-

ſanĉte Clemens. ora.
ſanĉte Laurenti. ora.
ſanĉte Vincenti. ora.
ſanĉte Dionyſi, cum ſocijs ſuis. orate.
ſanĉte Sebaſtiane. ora.
ſanĉte Thoma. ora.
Omnes ſanĉti Martyres. orate.
ſanĉte Silueſter. ora.
ſanĉte Gregori. ora.
ſanĉte Hilari. ora.
ſanĉte Martine. ora.
ſanĉte Auguſtine. ora.
ſanĉte Ambroſi. ora.
ſanĉte Nicolae. ora.
ſanĉte Ioſeph. ora.
S.P.N.Petre Nolaſche. ora.
ſanĉte Dominice. ora.
ſanĉte Franciſce. ora.
ſanĉte Hieronyme. ora.
ſanĉte Benediĉte. ora.
ſanĉte Antoni. ora.
Omnes ſanĉti Confeſſores. orate
ſanĉta Maria Magdalena. ora.
ſanĉta Martha. ora.
ſanĉta Fœlicitas. ora.
ſanĉta Perpetua. ora.
ſanĉta Agattha. ora.
ſanĉta Agnes. ora.
ſanĉta Cæcilia. ora.

ſancta Catharina. ora.
ſancta Vrſula. ora.
ſancta Eulalia. ora.
ſancta Margarita. ora.
ſancta Thecla. ora.
ſancta Marina. ora.
Omnes ſanctæ Virgines. orate.
Propitius eſto. Parce nobis Domine.
A damnatione perpetua. Libera nos Domine.
Vt regularibus diſciplinis nos inſtrúre digneris. Te rogamus, audi nos.
Vt præſentem fratrem conſeruare, & viſitare digneris, Te rogamus,audi nos.
Vt ſtatum noſtrum roborare digneris. Te rogamus.
Vt nos in tuo ſancto ſeruitio conſeruare digneris. Te rogamus,audi nos.
Fili Dei. Te rogamus.
Fili Dei. Te rogamus.
Fili Dei. Te rogamus.
Agnus Dei,qui tollis peccatamundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei,qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei,qui tollis peccata mundi. Dona nobis pacem,
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleyſon.
Pater noſter.

Verſ.

Vers. *Et ne nos*, &c. Vers. *Saluum fac*, &c. Resp. *Deus meus*, &c. Vers. *Mitte ei Domine auxilium de sancto.* Resp. *Et de Sion*, &c. Vers. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* Resp. *A facie inimici.* Vers. *Nihil proficiat inimicus in eo.* Resp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Vers. *Domine exaudi*, &c. Resp. *Et clamor meus*, &c. Vers. *Dominus vobiscum*, &c. *Oremus. Deus qui non mortem peccatoris, sed per pœnitentiam, & emendationem vitam semper inquiris: te supplices deprecamur, vt huic famulo tuo sæcularibus actibus renuntianti, largè pietatis tuæ gratiam infundere digneris, quatenùs castris tuis insertus, ita tibi militando, stadiũ vitæ præsentis percurrere valeat, vt brauium æternæ remunerationis, te donante, recipiat. Per Christum.* &c. Resp. *Amen. Oremus. Deus, qui renuntiantibus sæculo, mansionem præparas in cœlo: dilata huius sanctæ Congregationis temporale habitaculum cœlestibus bonis, & præsta; vt fraterna teneantur compagine charitatis, vnanimes continentiam præceptam custodiant, sobrij, simplices, & quieti, gratam sibi datam professionis continentiam, tua gratia fuisse cognoscant, concordet eorum vita cum nomine, vt professio sentiatur in opere. Per Christum Dominum nostrum.* Res. *Amen.*

Oremus. Deus, *qui nos, a sæculi vanitate conuersos, ad æternæ vocationis accendis amorem: pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in te perseueremus, infunde; vt protectionis tuæ muniti præsidijs, quæ te donante promisimus, impleamus, & nostræ professionis executores effecti, ad ea quæ credentibus in te, dignatus es promittere, pertingamus. Per Christum*, &c. Resp. *Amen.*

tiam ſumere: & ſolus eorum confeſſiones audiat, niſi in caſibus exceptis cap. 24. Doceat rurſùs eos ſine proprio viuere, propriam voluntatem deſerere, & obedientiam in omnibus obſeruare, pro voluntate ſui Prælati adimplenda. Quonammodo vbiquè in omnibus nouitij ſe gèrere debeant, inſtruendi ſunt à Magiſtro, blando ſermone, & cum omni charitate. Quomodo ſibi danti aliquid, vel auferenti, malé, vel benédicenti, proſtrari debeant. Qualitér ad cællas ſe contineant: vt oculos ſublimes non habeant. Quomodò, vel quid orent, & quam ſilentèr, vt alios non perturbent, aut impediant. Quomodò in Capitulo, vel vbicumquè fuerint reprehenſi á Superiore, veniam petant; & ſi fratrem ſuum ſcãdalizauerint, ſtatim iaceant proſtrati ante pedes eius, donéc placatus erigat ipſos. Inſtruendi præterea ſunt nouitij, vt cum nemine contendere audeant; & quod in omnibus Magiſtro ſuo obediant. In proceſſione ſocium ſibi collateralem attendant; & non loquantur locis, & temporibus interdictis. Neminem penitùs iudicent, ſed ſi quæ viderint ab vllo fieri (licet mala appareant) bona ſuſcipientur, vel bona intentione facta: ſæpe namquè humnum fallitur iudicium. Nequè loquantur de abſente, niſi quæ bona ſunt. Diſcilplinas frequentér ſuſcipiant, non ſolum eas, quæ ex vi Conſtitutionis inqualibet hebdomada communitér ſuſcipiuntur, ſed etiam quando ſunt communicaturi. Diligenter res omnes monaſterij cuſtodiant. Duabus manibus bibant & ſedendo. Intra annum probationis Pſalmodiæ, Regulæ

gulæ B. P. N. Augustini, cæremonijs, & diuino officio sint intenti, in quibus diligentér studeant. Inter alia verò cauere debent superiories Prælati, ne (inconsulto Magistro) circa nouitios, aut eorum directionem aliquid disponant, aut agant; & præcipuè ipsos Magistros foueant, & suo fungi munere liberé concedant, ne ab alijs despectui habeantur. Nullus religiosorum nouitijs aliquid iniungat, vel eos audeat corrigere: sed si quis in illis aliquid culpabile deprehenderit, Prælato, aut Magistro denuntiet, vel in die Capituli conuentualis, ante eius ingressum, animaduertat, etiam si sit Vicarius ipsius conuentus; ita vt solus suus Magister eos corrigat, admoneat, & emẽdet. Et etiam Commendator summa cura circa nouitiorum instructionem debet inuigilare: quare eorumdomum, ipsosquè nouitios assiduè debet visitare, & quærere ab ipsis de oratione mentali, & vocali, & mortificationibus, de humilitate cordis, & corporis, & de alijs ad eorum instructionem pertinentibus. Item nouitij, nec intersint Capitulo, sed in ipso eorum domicilio Commendator, vel Magister ipsorum culpas audiat, diligentér bonis moribus instruendo, & charitatiuè illorum errata corripiendo.

CAPVT XXXIX.

De Professione.

POstquam aliquis Magistri nouitiorum curæ commissus est, austéra & difficiliora, iuxta Regulam,

& Constitutiones ei facienda, vt probetur, imponat; inuigilians diligenter animi eius propensionem agnoscere, mores, docilitatem ingenij, aut ineptiam, si humilis corde sit, ac deuotus. Si autem contumacem, rebellem, & inobedientem viderit, vel ad quoduis aliud vitium inclinatum, quod sibi, & alijs confratribus ruinæ occasio esse possit, statim Commendatori denuntiet, qui super ea re maturo habito consilio, proposita illi, & conuentui causa eius expulsionis, ipsum ab habitu, & ab Ordine expellat, restituens illum primo statui, in quo erat quando venit ad Ordinem. Si verò ipsum agnoscat probum, bonæ indolis, deuotum, ac piũ, Commendatorem similitér certiorem faciat, sexto probationis mense transacto, & tunc consiliarijs conuentus, vná cum Commendatore congregatis in vnũ, referat, quæ expertus est in nouitio bona; & idem faciat decimo mense transacto, ac de communi consensu Commendator illum conuentui proponat duobus mensibus ante professionem, & per secreta suffragia, per schedulas, aut fabas, ad professionem admittatur, postquam decimum sextum ætatis, & integrum probationis compleuerit annum, maiori conuentus parte illum approbante.

Præcipimus insupèr sub excommunicationis sententia Prælato, vt quando vocatur nouitius ad professionem suscipiendam, protestetur eidem, quod professio obligat eum quatuor votis essentialibus, Obedientiæ, Castitatis, Paupertatis, & manendi in terra Sarracenorum (si opus fuerit) pro redimendis Christianis captiuis:

uis:& viuendi secundúm Regulam S.P.N. Augustini, & Constitutiones Ordinis nostri;non proút in vno,vel alio conuentu seruantur, sed prout in illis continetur. Et si his pensatis noluerit profiteri, vel si intra annum probationis voluerit ad sæculum reuerti, vel admonitus,mores nouitij Religioni non expediant, Prælatus, causa expulsionis patribus consilij proposita,tonsuram radat, & exuat eum habitu,dicendo: *Ego authoritate Domini nostri Iesu Christi, & authoritate Apostolorum Petri,& Pauli,& authoritate mihi tradita, exuo te habitu nouitiorum nostri Ordinis, & ab illius obseruantia te absoluo, & restituo te in priorem statum sæcularem, in quantum possum. In nomine Patris,& Filij, & Spiritus Sancti, Amen.*

Quod si aliquando oporteat in aliquo graui casu,ac raró,patribus consilij rationem non reddere de causis, ob quas nouitius aliquis debeat expelli,tūc ille ex consilio Prouincialis,& cum consensu Commendatoris,& Magistri nouitiorum,dimitti poterit. Si veró voluerit permanere in Religione sequenti modo detur illi professio. Cantato Offertorio (si in Ecclesia sit solemnitér) adducatur nouitius per eius Magistrum, vel aliquem alium antiquum fratrem ad gradus altaris, & à Prælato expolietur caputio,pallio,& scapulario dicendo. *Exuat te Deus veteri homine, cum omnibus actibus suis.* Deindé benedicantur vestes,hoc modo. Vers. *Ostende nobis Domine*,&c.Resp.*Et salutare tuum*,&c.Vers. *Dominus vobiscum*,&c.*Oremus*.*Domine Iesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es:obsecramus*

inmen-

immensæ largitatis tuæ abundantiam , vt hoc genus vestimentorum quod sancti Patres ad innocentiæ , & sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene ✠ *dicere digneris, vt qui hoc vsus fuerit te induere mereatur. Qui viuis, & regnas*, &c. Resp. *Amen.* Deinde aspergat aqua benedicta. Tunc flexis genibus , nouitius ter dicat hunc versum : *Suscipe me , Domine, secundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea.* Et ter respondeat conuentus. *Suscepimus , Deus , misericordiam tuam in medio templi tui. Gloria Patri , & Filio , & Spiritui sancto. Sicut erat in principio , & nunc , & semper , & in sæcula sæculorum. Amen.* Et dum nouitius dicit versum : *Suscipe me*, &c. flectat genua , & postea se erigat , dum conventus prosequitur : *Suscepimus* , &c. vsque ad finem Vers. *Gloria Patri* , &c. Et hoc fiat ter , vt dictum est. Deinde cantetur à choro Psalm. 19. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis* , &c. *Gloria Patri* , &c. Postea induat eum Prælatus vestibus benedictis, dicens : *Ego authoritate Domini nostri Iesu Christi , & authoritate Apostolorum Petri, & Pauli, & authoritate ab Ordine mihi commissa, do tibi habitum professorum Ordinis nostri. In nomine Patris , & Filij & Spiritus sancti.* Resp. *Amen.* Et quando Prælatus religiosum incipit induere , dicat: *Induat te Deus nouo homine , qui secundum Deum creatus est in iustitia, sanctitate, & veritate.* Quando veró imponitur corrigia , dicat : *Cum esses iunior cingebas te , & ambulabas vbi volebas , cum autem senueris , alius te cinget: in nomine Patris & Filij* ✠ *& Spiritus sancti.* Resp. *Amen.*

Amen. Quando veró induitur nouitius pallio, dicat: *Accipe pallium laudis, pro ſpiritu mœroris, & vocaberis fortis iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum: in nomine Patris, & Filij ✠ & Spiritus ſancti.* Reſp. *Amen.* Cúm veró caputio, dicat: *Qui ſequuntur agnum ſine macula ſunt, & ambulant cum eo in albis: ideó ſint ſempèr tua veſtimenta candida, in ſignum internæ puritatis: in nomine Patris, & Filij ✠ & Spiritus ſancti.* Reſp. *Amen.* Tunc proſtretur nouitius, & Prælatus dicat. *Oremus. Deus miſericors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, ſine quo nihil ſanctum inchoatur, nihilquè boni perficitur: adſint noſtris precibus aures pietatis tuæ, & hunc famulum tuum, cui in tuo ſancto nomine habitum ſanctæ Religionis noſtræ impoſuimus, á mundi impedimento: & ſæculari deſiderio defende, & concede ei, vt in hoc ſancto propoſito deuotus perſiſtere, & remiſſione peccatorum cæpta, ad electorum peruenire valeat conſortium. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Reſp. *Amen.* Deindè dicatur Pſalmus: *Ecce. quam bonum*, &c. *Gloria Patri*, &c. Quo finito, Prælatus incipiat Litanias, & conuentus reſpondeat, vt ſequitur.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Chriſte audi audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus. Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus. Miſerere nobis.

San-

Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix. ora.
Sancta Virgo Virginum. ora.
Sancte Michaël. ora.
Sancte Gabriël. ora.
Sancte Raphaël. ora.
Omnes sancti Angeli, & Archangeli. Orate pro nobis.
Omnes sancti Beatorum Spirituum ordines. orate
Sancte Ioannes Baptista. ora.
Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ. orate.
Sancte Petre. ora.
Sancte Paule. ora.
Sancte Andræa. ora.
Sancte Iacobe. ora.
Sancte Ioannes. ora.
Sancte Thoma. ora.
Sancte Iacobe. ora.
sancte Philippe. ora.
sancte Bartholomæe. ora.
sancte Matthæe. ora.
sancte Simon. ora.
sancte Thadæe. ora.
sancte Matthia. ora.
sancte Marce. ora.
sancte Luca. ora.
sancte Barnaba. ora.
Omnes sancti Discipuli Domini. ora.
Omnes sancti Innocentes. orate
sancte Stephane. ora.

sancte-

sancte Clemens. ora.
sancte Laurenti. ora.
sancte Vincenti. ora.
sancte Dionysi, cum socijs suis. orate.
sancte Sebastiane. ora.
sancte Thoma. ora.
Omnes sancti Martyres. orate.
sancte Siluester. ora.
sancte Gregori. ora.
sancte Hilari. ora.
sancte Martine. ora.
sancte Augustine. ora.
sancte Ambrosi. ora.
sancte Nicolae. ora.
sancte Ioseph. ora.
S.P.N.Petre Nolasche. ora.
sancte Dominice. ora.
sancte Francisce. ora.
sancte Hieronyme. ora.
sancte Benedicte. ora.
sancte Antoni. ora.
Omnes sancti Confessores. orate
sancta Maria Magdalena. ora.
sancta Martha. ora.
sancta Fœlicitas. ora.
sancta Perpetua. ora.
sancta Agattha. ora.
sancta Agnes. ora.
sancta Cæcilia. ora.

Verſ. *Et ne nos*, &c.Verſ. *Saluum fac*, &c. Reſp.*Deus meus*, &c. Verſ. *Mitte ei Domine auxilium de ſancto.* Reſp. *Et de Sion*,&c.Verſ.*Eſto ei,Domine, turris fortitudinis*. Reſp. *A facie inimici*. Verſ. *Nihil proficiat inimicus in eo*. Reſp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Verſ. *Domine exaudi*, &c. Reſp. *Et clamor meus*, &c. Verſ.*Dominus vobiſcum*,&c. *Oremus*.*Deus qui non mortem peccatoris,ſed per pœnitentiam, & emendationem vitam ſemper inquiris ; te ſupplices deprecamur, vt huic famulo tuo ſæcularibus actibus renuntianti,largè pietatis tuæ gratiam infundere digneris, quatenùs caſtris tuis inſertus, ita tibi militando, ſtadiũ vitæ præſentis percurrere valeat, vt brauium æternæ remunerationis,te donante,recipiat. Per Chriſtum.* &c. Reſp. *Amen. Oremus. Deus,qui renuntiantibus ſæculo, manſionem præparas in cœlo : dilata huius ſanctæ Congregationis temporale habitaculum cœleſtibus bonis, & præſta ; vt fraterna teneantur compagine charitatis, vnanimes continentiam præceptam cuſtodiant, ſobrij, ſimplices, & quieti,gratam ſibi datam profeſsionis continentiam,tua gratia fuiſſe cognoſcant, concordet eorum vita cum nomine, vt profeſsio ſentiatur in opere. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Reſ. *Amen.*

Oremus. *Deus,qui nos,a ſæculi vanitate conuerſos, ad æternæ vocationis accendis amorem: pectoribus noſtris purificandis illabere,& gratiam nobis, qua in te perſeueremus, infunde ; vt protectionis tuæ muniti præſidijs, quæ te donante promiſsimus,impleamus,& noſtræ profeſsionis executores effecti,ad ea quæ credentibus in te, dignatus es promittere,pertingamus. Per Chriſtum*,&c.Reſp.*Amen.*

Deinde surgat nouitius, & legat claré, & distinctè professionem, quam manu propria scribat, si scit. Tenor professionis talis est. Ego frater N. facio professionem, & promitto Obedientiam, Paupertatem, & Castitatem, obseruare Deo, & Beatæ Mariæ, & tibi N. Commendatori huius domus N. Discalciatornm Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum, vice P. N. Fr. N. Vicarij generalis, & successorum eius, secundúm Regulam P. N. Augustini, & Constitutiones eiusdem Ordinis Discalciatorum, prout in eis continetur. Eroquè obediens tibi, & successoribus tuis vsqué ad mortem. Et in Sarracenorum potestate in pignus (si necesse fuerit ad Redemptionem Christifidelium) detentus manebo. Et ibi annus, mensis, & dies signetur, & qui profitetur subscribat, vná cum Prælato, & alijs duobus fratribus. Si autem scribere nescit, Prælati, & aliorum subscriptio sufficiens erit. Lecta professione, dicat Prælatus Vers. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Resp. *A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.*

Deindè Prælatus donet ei communem societatem; tenendo manus nouitij intra suas clausas, dicens: *Omnes quamuis per gratiam Baptismi fratres simus in Christo, & vnum Patrem habeamus in cœlo, si eius præceptis, proùt possumus, obsequimur, proculdubiò tùnc maximè vnimur, quando orationibus, & beneficijs inuicem nosmetipsos copulamus. Quemadmodùm, & in primitiua Ecclesia, quibus cor vnum erat, & anima vna, quorum amore*

plu-

plures accensi mente, possessiones, & facultates rerum vendentes, congregatis cum Matre Iesu in vnum, pretia deferebant, gaudentes; quæ accepta, Apostoli tradebant omnibus, prout opus erat: sic iste eorum exemplo commonitus, nostris optat iungi consortijs. Idcircò damus ei communem societatem viuendi nobiscum, quantum à Domino possumus promereri, & nostrum est largiri, quatenùs cum electis a remuneratore omniū bonorum valeat præmia repromissa percipere. Per Christum Dominum nostrum. Resp. *Amen.*

Posteà dum datur ab omnibus osculum pacis, dicat conuentus Hymnum: *Te Deum laudamus*, &c. Vers. *Saluos fac seruos tuos.* Resp. *Deus meus*, &c. *Oremus, Protege, Domine, famulos tuos subsidijs pacis; & Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinio confidentes, à cunctis hostibus, periculis, & transgressionibus Constitutionum, & Regulæ redde securos. Per Christum Dominum nostrum.* Resp. *Amen.* Inquolibet conuentu habeatur liber specialis, in quo sint omnes professiones scriptæ, notando diem, mensem, & annum. Posteà qui nouitèr professus est, inter anteà professos sedebit vltimo loco.

Ad maiorem veró spiritualem eorum profectum, præcipimus, vt omnes professi choro deputati, quousquè sacerdotij munere fugantur, sub disciplina sint Magistri nouitiorum, & vbi non fuerit Magister, sub potestate Vicarij conuentus, aut alterius senioris Sacerdotis à Prouinciali deputati, constituantur. Et vbi commodè fieri potest, in dormitorio separato, cum suo Magistro obseruentur. Idem volumus obseruari cum

cum fratribus Obedientiæ, & Donatis per tres anos á sua professione. Sacerdotes veró,qui post sacerdotium habitum receperint, per vnum annum ab emissa professione, sub eadem disciplina permaneant.

Nouitèr professi, saltém per aliquod tempus, ad arbitrium Prouincialis, in eadem domo, vbi professionem emisserunt, & cùm eodem Magistro, conuersentur. Elapso veró hoc tempore, necessitatequé exigente, Prouincialibus maximé elaborandum est, vt eò deducantur, vbi spiritualibus exercitijs, & Magistrorum ductu fruantur, ne virtus non irrigua arescat, ac fervor spiritus citó extinguatur. Quod vt commodiùs seruetur, statuimus, vt in vnaquaquè prouincia sit aliqua professis constituta domus, vbi hi, quos nouitiorum monasterium non capit, aut etiam alij, iudicio Prouincialis, instruantur; ne tenera nouorum professorum virtus, quæ maxima solet subire pericula, nondùm bené radicata in Religione, arescat. Præteréa, ante elapsos duos annos á sua professione, nulla ratione, siue titulo in propriam patriam, vbi conuentus Ordinis non est, nouiter professi mittantur; super quo conscientias Prælatorum oneramus, ne sint faciles in concedendis similibus licentijs.

Si quis ex fratribus professis occupationibus, siue alijs impedimẽtis ab exercitijs suæ professionis, & aliorum fratrum, diuertatur, studeant Prouinciales eum ad aliquam nouitiatus, siue professionis domum reducere, vt resarcitis damnis, in studio, & oratione proficiat.

CA-

CAPVT XL.


De tradendo habitu manentibus in ſæculo, & de recipiendis ad beneficia Ordinis.

SI quis ex deuotione voluerit habitum noſtrum; nempè ſcapularium, cum ſigno Religionis portare, priùs benedicatur à Prælato, hoc modo. Verſ. *Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam.* Reſp. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Domine Ieſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſæ largitatis tuæ abundantiam: vt hoc genus veſtimentorum, quod ſancti Patres ad innocentiæ, & ſanctitatis indicium ferre ſanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, vt qui hoc vſus fuerit, te induere mereatur. Qui viuis, & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.* Deinde aſpergendo aquam benedictam, & induendo ſcapularium, dicat: *Ego authoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, & mihi commiſſa, do vobis habitum ſacræ Religionis noſtræ, ex deuotione quam geritis ad ſacratiſsimam matrem Dei Mariam, & Ordinem noſtrum, eius nomine fundatum, cum quo in præſenti gratiam Spiritus ſancti adipiſci valeatis, & in futuro gloriam æternam, quæ eſt præmium electorum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* Poſtea dicatur Hymnus: : *Veni Creator Spiritus.* Verſ. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Reſp. *Et renouabis faciem terræ.* Verſ. *Saluum fac ſeruum tuum, Domine.* Reſp. *Deus*

meus.

meus. Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum (vel famulam tuam) bene ✠ dicere digneris, cui in tuo ſancto nomine habitum ſacræ Religionis noſtræ imponimus, quem ex deuotione cupit portare, dum vitã duxerit in humanis; vt te largiente, & deuotus (vel deuota) in Eccleſia perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.* Si quis verò deſiderat fraternitatem noſtram, & beneficiorum Ordinis noſtri participem fieri: genibus flexis, Prælatus veró ſtans dicat. *Ad te leuaui. Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas. Saluum fac. Dominus vobiſcum,* &c. *Oremus. Prætende Domine, famulis, & famulabus tuis dexteram cœleſtis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quod digne poſtulant, aſſequantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Et ego authoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, & poteſtate mihi commiſſa in toto Ordine noſtro, do vobis participationem in omnibus bonis, quæ Dominus dederit fieri per fratres noſtros, ſiue ſint Miſſæ, orationes, ieiunia, vigiliæ, diſciplinæ, prædicationes, vel alij laboresmaximè Redemptionis captiuorum, ad quam noſter* Ordo *dicatus eſt, ſeù alia quæcumquè bona: ad omnia, & ſingula vos recipio. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

S E-



SECVNDA

DISTINCTIO.

DE HIS QVÆ AD COMMVNEM Religionis ſtatum attinent.



Oſtquam de his, quæ ad priuatum cuiuſcumquè ſtatum pertinebant,in prima Diſtinctione ſit actum; nunc de illis, quæ ad ſtatum communem Religionis attinent, agamus. Et quia Religionis ſtatus è tribus maximè pendet: Virtute(ſcilicèt) qua apud Deum, & homines commendatur: Literis, quibus inſtruitur, & regitur; Temporalibuſqué facultatibus, quibus fulcitur, & conſeruatur; oportet de his aliquid tractare. Cúm autèm ea, quæ virtuti, & Religioni conſona in prima Diſtinctione ſtabilita ſint, in hac ſecunda de Prælatis,quibus virtutis maximé cura eſſe debet, & de reliquis ad totius Religionis ſtatum pertinentibus, dicemus.

CAPVT I.

De Capitulo Generali.

CVm Sanctissimus Dominus noster Gregorius, Diuina prouidentia Papa XV. literis suis Apostolicis, datis Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima sexta Nouembris, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo primo, Pontificatus sui primo, decreuerit; fratres excalceatos nostri Ordinis in omnibus, & per omnia à regimine, & gubernatione patrum calceatorum eximi, & separari: & quod prædicti nostri discalceati proprios haberent Prælatos excalceatos, tam superiores, quàm inferiores, nimirùm Vicarium generalem, qui totam Recollectionem gubernet, & eandem authoritatem, præeminentiam, iurisdictionem, & superioritatem super dictam Recollectionem habeat, & super discalceatos omnes, illorumqué monasteria vtriusqué sexus, quam habet Reuerendissimus Generalis Magister super totam Religionem nostrorum patrum calceatorum: & similitér decreuerit, quod prædicti nostri discalceati haberent in singulis suis prouincijs suos proprios Prouinciales excalceatos. Ad cuius executionem, debitumquè effectũ, pro prima illa vice dũtaxát, sua Sanctitas nominauit patrem fratrem Ioannem à sancto Iosepho, aliàs Maroto, in Vicarium generalem totius Recollectionis, qui á notificatione prædictæ Bullæ, seu Motus proprij,

prij , vſqué ad primum Capitulum generale celebrandum in die pentecoſtes,anni proximè immediati milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſecundi , fungeretur prædicto officio. Item quod á die Pentecoſtes dicti anni 1622. in poſterùm,futuris purpetuó temporibus, quolibet ſexennio , Capitulum generale Recollectionis in die Pentecoſtes celebretur. Quas Apoſtolicas literas Capitulum generale primum in conuentu ſanctæ Mariæ de Bethleem,ciuitatis deSan-Lucar deBarrameda, in feſto Pentecoſtes celebratum , die decima quarta menſis Maij,anni eiuſdem 1622.nomine totius Diſcalceatorum Ordinis ſuſcepit, & in perpetuum adimplẽdas promiſſit.

Quarè in dicto Capitulo fuit electus in totius Recollectionis Vicarium generalem prædictus Ioannes á ſancto Ioſepho. Et in dicto Capitulo frater Ferdinandus de ſancta Maria. Prouincialis prouinciæ Conceptionis,apud Wandaliam. Et frater Ludouicus à Ieſu Maria,Prouincialis proninciæ ſancti Ioſeph,inRegno Caſtellæ. Et frater Bernardus á Matre Dei , frater Ioannes á S.Laurentio , frater Antonius á ſancto Ioſepho,& frater Emmanuel Dominæ noſtræ, Diffinitores generales pro prouincia ſancti Ioſeph. Frater Gomezius de ſancto Franciſco , & frater Franciſcus de la Cruz,frater Andreas de la Concepcion,& frater Ioannes deSpiritu ſancto,Diffinitores generales pro prouinciaCõceptionis.Et frater Matthæus á Conceptione, & frater Marcus Sanctiſſimæ Trinitatis , frater Iſidorus ſancti Ioannis Baptiſtæ,& frater Gabriel á Matre Dei,

Diffinitores pro prouincia sancti Raymundi Nonnati, in regno Siciliæ. Et frater Dominicus de Sanctis, Procurator generalis pro prouincia Conceptionis: & frater Ildefonsus à Sanctissimo Sacramento, Procurator generalis prouinciæ Sancti Ioseph. Hi omnes, atqué singuli prædicti, literis Apostolicis, & dicto nouo patri Vicario generali electo, pro se, & pro suis prouincijs, & nomine totius Discalciatorum Ordinis, obedientiam præstiterunt.

Diffinitores autem omnes in generali Capitulo cõgregati, in omnibus, & singulis, quæ pro toto Ordine fuerint ordinanda, constituenda, diffinienda, mutanda, addenda, vel diminuenda, laudanda, approbanda, & confirmanda, ita se habeant, quod ea omnia liberè ordinent, constituant, diffiniant, approbent, & decernant, & quidquid per eosdem fuerit statutum, & ordinatum, vniuersalitér, & inuiolabilitèr in toto Ordine nostro obseruetur.

CAPVT II.

De Electoribus Capituli generalis, & eorum conuocatione.

PRo Capitulo generali, quælibet prouincia sex habebit electores, scilicét, Prouincialem, & quatuor Diffinitores prouinciæ, qui sicut in cæteris prouinciæ actibus, sic in Capitulo generali vocem habeant, vt etiam multiplicitas dignitatum, & officio-

rum

rum vitetur; item Procuratorem eiusdem prouinciæ: qui omnes in Capitulo prouinciali eligantur, vt suo loco dicetur. Præter hos etiam erit elector Procurator generalis Romanæ Curiæ, si adsit. Erit tamen tàm ipse, quàm cæteri Procuratores generales cuiusuis prouinciæ, solùm vocem habentes in electione Vicarij generalis, non autem in alijs actibus Diffinitorij. Vicarius veró generalis, aut eius vicem gerens, pro eius defectu, primam vocem habebit in electione Vicarij generalis, & post electionem noui Vicarij Generalis, in omnibus actibus Capituli post electum habebit vocem, & sedem. Quod si Prouincialis mori contingat, vel fuerit omninó impeditus, Vicarius prouincialis succedat, & locum, & vocem in Capitulo generali habeat. Si autèm dictus Vicarius prouincialis alias vocem habebat in Capitulo eodem, tunc nouus alius eligatur Diffinitor, seù Elector, ad futurum immediatum generale Capitulum, sicut similitèr, si aliquis Diffinitorum, seù Electorum ex nominatis in Capitulo prouinciali, morte, vel quouis alio impedimento defecerit, tunc alius, loco illius, per vota secreta, à Prouinciali, & suis Diffinitoribus eligatur, vt posteá dicetur; & hi omnes sint de corpore generalis Capituli. Nullus tamen electorum, si absens à Capitulo fuerit, vocem habeat in eo: numquam enim præsentes pro absentibus, nequé absentes pro præsentibus suffragari debent. Nequè rursus, si quis duplici titulo vocem habeat, plus vna voce gaudebit, sicut vna dumtaxát est persona.

Sta-

Statuimus itẽ,& ordinamus;quod si fortè intra sexenniũ Vicarij generalis,per ipsius discessum,renũtiationem, vel quouis alio modo, ipsius officium seú administratio vacare contigerit; si per quator menses ante festum Pentecostes id euenerit,Capitulum generale fiat eo primo tempore dicti festi. Si autem succedat mors, vel alia (vt præfertur) vacatio, intra tempus quatuor mensium ante prædictum festum,túnc ad tempus Pentecostes non eiusdem, sed sequentis anni Capitulum differatur.

Vacante igitur quouis modo Vicariatu generali Ordinis, Vicarij generalis socius, seù Commendator domus, vbi vacare contigerit, cum festinatione per nuntium specialem denuntiet patri Prouinciali illius prouinciæ, ex qua assumptus erat Vicarius generalis defunctus, seú quomodolibét vacans. Si deficiat Prouincialis, denuntiet Vicario prouinciali eiusdem prouinciæ; & defectu amborum, antiquiori Diffinitori eiusdem prouinciæ, qui in prædicto officio succedat, & eum Viceuicarium generalem præsenti constitutione declaramus, & nominamus; vicesquè, & potestatem Vicarij generalis in omnibus, proùt in his Constitutionibus sancitur, habeat. Et quia nomen Viceuicarij non ita commodé, & communitèr in ore omniũ proferri potest, absolutè Vicarius generalis nominetur, vsqué quó eius officium futura electione expiret.

His ergó omnibus dictis suo ordine, competat cõuocatio, seù potestas congregandi electores ad genera-

ra-

rale Capitulum , ſicut , & competit Vicarij generalis , ſeù Viceuicarij officium : nimirùm , deficiente Vicario generali , Prouinciali eiuſdem prouinciæ , cuius erat Vicarius generalis defunctus , vel quomodolibé vacans,vel ſi ille deſit,eius Vicario prouinciali; vel deniquè , defectu vtriuſqué , Diffinitori antiquiori eiuſdem prouinciæ , vt dictum eſt. Quicumquè ergo ille ſit , cui tale officium Vicarij generalis reſpectu totius Recollectionis , vel illius vices gerentis incumbat , non poſſit electores mutare,vel priuare , aut nouos eligere ad Capitulum genenerale proximum, ſed, quantum ad hoc , ijdem electores , quos Vicarius generalisper mortem , vel deceſſum , aut priuationem, aut renuntiationē reliquit , permaneant;ita vt Religio in eodem prorſus ſtatu perſeueret , ſicut fuerat ante vacationem Vicariatus generalis.

Quodſi electorum aliquis mori contingat, vel fuerit legitimé impeditus tempore , quo Viceuicarius generalis fungitur ſuo officio, tunc a Prouinciali vel eiusVicario defectu illius,&Diffinitoribus ſuæ prouinciæ tantùm (in hac enim ſola electione vocem non habebit dictus Viceuicarius generalis) illius loco nouus eligatur , ad futuram electionem Vicarij generalis.

Nec etiam ipſo Vicario generali liceat , ſex menſibus ante Capitulum generale , vel prouinciale aliquem electorum voce actiua priuare , niſi ratione ſuæ culpæ officij priuationem , cui vox ſit annexa , in Conſtitutione expreſſam habeat.Si quis verò ob alias

cau-

causas sit inhabilis, aut voce careat, á Diffinitorio generali, aut prouinciali id decenatur.

Dictus ergó Vicarius generalis, vel eius vices gerens, tempore statuto, & iuxta formam in his nostris Constitutionibus traditam, omnes electores conuocet ad generale Capitulum; cuius mandato omnes vocales venire teneantur. Quod si aliqui venire noluerint, aut alia causa legitima tunc impediti fuerint, ius eligendi tantùm apud illos sit, qui præsentes fuerint, vt dictum est.

CAPVT III.

De electione Vicarij generalis.

OMnes capitulares, in vigilia Vigiliæ Pentecostes, scilicét, feria sexta immediaté præcedenti, & non anteà, sub pœna arbitrio Diffinitorij applicanda, in monasterio designato conneniãt. Tuncqué eodem die à patre Vicario generali, vel Præsidente, & á Diffinitoribus examinetur, an omnes congregati sint legitimé vocales, inquiraturqué, sit ne in aliquo eorum impedimentum, ratione cuius in eo Capitulo admitti non debeat? Quod si reperiatur, & sufficientèr probetur, declaretur statim, & á Capitulo eijciatur, qui talem patitur defectum.

Die autem sequenti, Sabbato scilicèt, omnes sic approbati, sub præcepto obedientiæ, & sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, in loco ad Capitulum deputato, post signum factum à Vicario conuentus

tus Capituli, conueniant, nec inde exeant, donéc electio Vicarij generalis fiat. Quod ſi inter ſe diſſentiant, & intra duos dies ſe inuicem conformare noluerint, præcipimus dicto Vicario conuentus Capituli, vt panis, & aqua ſolis electoribus miniſtretur, donèc ex ſe, vel ex abſentibus fratribus noſtri Diſcalciatorum Ordinis Vicarium generalem eligant.

Primó tamen manè celebretur MiſſaSpiritus ſancti pro electione, idemque fiat eodem die in omnibus monaſterijs Ordinis; quotidié etiam, non ſolum tempore Capituli; ſed, & multo anté, ad arbitrium Præſidentis, publicé, & priuatim in tota Recollectione orationes ad Deum fiant, vt ſuam ijs, qui Capitulo interſunt, voluntatem, diuinumqué é cœlis lumen dignetur emittere; quo rectè omnia, abſquè vlla animi perturbatione, ad Dei omnipotentis laudem, totiuſqué Religionis vtilitatem, ac profectum poſſint ordinari.

Poſteà literalis ſermo ad electores habeatur, in quo exhortentur ad rectam, & communi bono vtilem electionem. Quo finito, omnes flexis genibus, Hymnum dicant: *Veni, creator Spiritus, &c.* Factoquè ſigno á patre Vicario generali, ſeù Præſidente, vnuſquiſqué ſuo ordine ſedeat. Et ipſe ſpirituali concione (niſi præcedenti die fuerit peracta) omnibus obligationem, quam habent rectè, & canonicè eligendi, exponat, parteſquè perſonæ elegibilis, damna irreparabilia, quæ ex indigni electione Religioni inferuntur, commodaqué, ac profectus, quibus ipſa priuatur;

capite digniori ei ablato. Languescit namquè totum corpus, miseramquè omnia membra iacturam patiuntur, quotiés caput languidum illi præficitur. Tandem, profine sermonis animaduertat excomunicatos, suspensos, & interdictos (si qui sint in dicto conclaui) recedere à præsenti electione, cúm de iure illi interesse nequeant; protestans, non esse mentem ipsius, aliquem illorum admittere. Quod si ocultè se ingesserint, nolumus eorum vocibus dari suffragium, aut ab ipsis impedimentum inferri.

Tunc omnes electores iurent per Deum, & sacrosancta Euangelia, quod secundum propriam conscientiam, attendentes ad maiorem Dei gloriam, Religionisquè augmentem, & reformationem, quem iudicauerint meliorem, ac magis idoneum in Vicarium generalem totius Recollectionis eligent. Deinde coram patre Vicario generali, aut Presidente sint vasa dispo-sita, & apta, in quibus vota secreta deponantur, ibidemquè adsit Secretarius Capituli, qui omnium fidem faciat, & rationem reddat. Qui etiam, tam in electione Vicarij generalis, quàm in Capitulo, quoties nogotia Religionis aguntur, debet esse vnus ex fratribus excalceatis nostris, nullatenùsquè sæcularis.

Vt autem eligentium libertas omninò seruetur illæsa, ne vé aliquis timore, vel authoritate superioris ductus, vel (quod absit à nobis) ambitione alicuius officij, eius beneuolentiam captare præsumens, ab electione dignioris animum retrahat (præter disposita à sacro Concilio Tridentino, de electione Superiorum,

rum, & officialium Regularium, quæ ſub pœna nullitatis, & in habilitatis ab eo ſtatutæ, inuiolabilitèr obſeruari mandamus) præcipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub obteſtatione Diuini iudicij, quod nullus per ſe, nec per interpoſitas perſonas, nec voce, vel ſcripto, aut ſignis álijs quibuſlibét de ſe, nec de alio votum ſuum præteritum, vel futurum, vel alterius, Prælato, ſeu Præſidenti Capituli manifeſtare audeat. Ob hoc autem circa electionem faciendam, non excludimus conſultationem ipſiuſmét Vicarij generalis, aut aliorum, dummodò cuiuſlibet electio taceatur.

Vt autém ex literis ſchedulæ manus, & votum ſcriptoris non inferatur, & ſi huius tàm neceſſarij ſecreti aperiatur clauſura, eodem tenore, & vigore præcipimus, quod vnuſquiſquè (niſi caracteres proprios penitús ſimulare valeat) ſchedulas tres, vel quatuor ex ignota, vel aliena manu ſcriptas ad Capitulum portet, & eam, quæ dignioris nomen continet, in vas inducat.

Poſtquàm omnes vota ſua ſic cautè ſcripta in vaſa coniecerint, tunc pater Vicarius generalis, aut qui præeſt, cum duobus Prouincialibus, & Diffinitoribus ex antiquioribus, & Secretario Capituli, vota omnia ſcrutentur, & computent: & ſi maior pars medietate eligẽtium in aliquo fratre conuenerit, tunc ſcrutinium publicetur, & electio canonica omnibus denuntietur, ac pariter Secretario Capituli, qui fidem omnium in ſcriptis præſtabit. Si autèm maior pars medietate eligentium non cõuenerit, ſecundo, & tertio (ſi opus fuerit) ad ſcrutinium procedatur, donèc maior pars medietate

conueniat,& electio canonica fiat.

Qua peracta,statim antequam nouo electo Vicario generali præstetur Obedientia, iuret coram electoribus,& Secretario Capituli per Deum,Crucem, & sancta Christi Euangelia,manibus suis sponte tacta, quod secundúm propriam conscientiam, & Constitutiones nostras reget, & gubernabit (omni odio, & amore postpositis)Religionem,& institutum; Regulam, omniaquè statuta illius inuiolabilitér seruabit:ea itém quæ pro pace cum prouincijs Ordinis à suis prædecessoribus seruata,& approbata fuere:quæ adRedemptionem captiuorum pertinent: quæ ad obseruantiam regularem,& ad bona spiritualia,& temporalia Ordinis spectant diligentissimé exequetur: nec in aliquo prædicta bona Redemptionis,vel Ordinis defraudabit, vel quouis colore in proprios vsus conuertet; sed quód omnium huiusmodi in Capitulo semper rationem reddet. Et eodem modo iuret Prouincialis,cum fuerit electus; quod si iurare recusauerit,electio sit nulla, nec ei præstetur obedientia, donéc iuret, & ad hoc a Præside Capituli, præcepto obedientiæ, & censuris adstringatur.

Postquàm veró iurauerit, omnes præstent ei obedientiam,& Cantor incipiat: *Te Deum Laudamus*, &c. Et omnes suo ordine, iunioribus præcedentibus, vt de more solet,& vltimo Vicarius generalis electus, inter duos ex antiquioribus Prælatis, seu *Diffinitoribus*, ad Ecclesiam procedant. Ibiquè electus ante altare prosternetur, & Præsidens, seu Vicarius generalis præteritus dicat:

dicat: *Saluum fac,&c. Dominus vobiscum. Oremus. Concede,quæsumus,omnipotens Deus,vt famulum tuum, quem ad regimen animarum elegimus,dono tuæ gratiæ prosequaris: vt te largiente,cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Deus qui corda fidelium* , &c. *Protege Domine famulos tuos subsidijs pacis,& Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinio confidentes , a cunctis hostibus , & periculis redde securus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Postea ibi sedeat , ab omnibusquè religiosis illi obedientia præstetur.

CAPVT IIII.

De alijs ad electionem,& Capitulum spectantibus.

POst electionem factam,in prima sessione, cúm primùm iterum conuenerint , Præsidens Capituli, seu de consensu Vicarij generalis electi , & aliorum patrum Diffinitorum , mittat , qui prædictam electionem Reuerendissimo patri generali Magistro obseruãtiæ nostri Ordinis præsentet,vt illam approbet,& confirmet;quod si facere recusauerit intra quindecim dies ab illius præsentatione , Procurator generalis (iuxta decretum Sanctissimi Domini nostri Gregorij Papæ XV.) accedat ad Illustrissimum Dominum Nuntium suæ Sanctitatis in regnis Hispaniarum commorantem, vt illam àpprobet,& confirmet.

Si quis verò electioni,sic canonicé factæ, ausus fuerit contradicere,appellare,vel quouis modo, aut colo-

re impedire, præsenti cõstitutione excommunicamus, & suffragijs in vita, morte, & officio in Ordine nostro perpetuò priuamus. Vicarius tamèn generalis, qui prædicto modo electus fuerit, suo officio statim plenè fungatur sub titulo Vicarij generalis electi, & sit caput, & Prælatus generalissimus in toto Discalciatorum Ordine, cui omnes Prouinciales, ac prouinciæ, cum omnibus, & singulis totius Religionis fratribus, in omnibus plené obedire teneantur. Postquàm verò à Reuerendissimo Generali Magistro, vel ab Illustrissimo Domino Nuntio confirmationem acceperit, plané eam notam faciat, ac denuntiet prouincijs, ex tuncquè vtatur titulo absoluto Vicarij generalis.

Statuimus prætereà, & ordinamus, quod in nostro Discalciatorum Ordine, futuris perpetuó temporibus, Vicarius geneneralis temporalis sit, vt à Sanctissimo D. Gregorio XV. in supra dicta Bulla decernitur; ita quidem, vt non possit eius officium vltra sex annorum curriculum perdurare. Nec possit sexennio immediaté sequenti iterum eligi in Vicarium generalem Ordinis, nisi priùs vnus alius Vicarius generalis electus, & cõfirmatus mediauerit, ac intercesserit per sexenniũ, vel quadrienniũ saltẽ, quinimò nec in eo Capitulo, in quo suũ officiũ finit, in aliud quodcũqué oficiũ eligatur, vt sic á labore suo quiescat, Deoque liberiùs vacare valeat.

Quotiès in Capitulo generali quinque ex vocalibus postulauerint, aut iudicauerint expedire, quod aliquid proponatur ex ijs, quæ ad Capitulum pertinent, Præses teneatur illud proponere, vt in Capitulo decidatur,

datur, nisi ad mutationem, vel additionem legum, vel Constitutionum spectet; quia vt hoc in Capitulo conferatur, maior pars Capituli id petere debet. Quæ verò in Capitulo proponuntur, si grauiora sint, vt maturiùs deliberentur, de vna in alteram sessionem differantur. Hoc idem in cæteris Capitulis obseruetur, tám generalibus, quàm Prouincialibus, quàm conuentualibus, quando id postulat rerum grauitas, ac necessitas. Finito Capitulo generali, vel prouinciali, Missa solemnis, tàm pro defunctis Ordinis, quam prò benefactoribus, simùl cum concione fiat. Item Prouinciales singuli teneantur rationem afferre omnium rerum memorabilium, quæ circa nouas fundationes domorum, virtutes singulares, exemplaremqué religiosorum vitam in suis prouincijs acciderint, omniúmqué defunctorum suarum prouinciarum memoriam afferant, ac toti Capitulo proponant, vt omnes eo sexennio, vel triennio defuncti ibi publicè commemorentur. Omnia item quæ circa morum reformationem, bona temporalia, aut Redemptionem nouitér discutienda, aut animaduertenda acciderint, in eo Capitulo proponantur, & decidantur.

CAPVT V.

De electione, & officio Procuratoris Generalis Romanæ Curiæ, & Regiæ.

CVm Oridinis negotia, quæ in Romana Curia aguntur, ex Procuratoris solertia, ac prudentia, &

& sollicitudine maximé dependeant: statuimus, & ordinamus, quod pater Vicarius generalis, & Capitulum, cùm simùl conuenerint, alia die post electionem Vicarij generalis, eligant, & nominent per suffragia secreta in Procuratorem Ordinis in Curia Romana religiosum fratrem, optimè instructum, literis, prudentia, & Religionis zelo præditum, cui Diffinitorium potestatem iuridicè præbeat, causas, & negotia omnia Ordinis, quæ sese Romæ obtulerint, tractandi. Qui generalis Procurator sit alterius prouinciæ, cuius est pater Vicarius generalis; ita vt si Pater Vicarius Generalis est ex prouincia sancti Ioseph, tunc Procurator generalis sit ex prouincia Conceptionis, & è contra. At si pater Vicarius generalis sit ex prouincia S. P. N. Raymundi Nonnati, tunc Procurator generalis sit ex alia prouincia, ab illa cuius anteà erat Procurator generalis præcedens, ita vt si Procurator generalis præcedens fuit ex prouincia Conceptionis, Procurator generalis nouitèr electus sit ex prouincia S. Ioseph, & é contra; quia Procurator generalis Romanæ Curiæ semper debet eligi ex vna harum prouinciarum, dum aliud pro tempore non iudicetur.

In rebus veró ad vniversale Ordinis regimen spectantibus, & ad Religionem in communi concernentibus, absquè Capituli generalis consensu, aut consilio patris Vicarij generalis, simul & duorum Prouincialium, ac duorum Diffinitorum vniuscuiusquè prouinciæ, quarum fuerint huiusmodi Prouinciales, non possit Procurator generalis Romanæ Curiæ à sede Apostoto-

tolica Bullam aliquam, aut aliquid simile impetrare, neque alicui in hoc fauere. In reliquis verò Ordinis negotijs, ab instructione, & obedientia Vicarij generalis non discedat, & sine eius mandato in scriptis nihil faciat, sub pœna priuationis ab officio ipsius Procuratoris generalis. Et vt meliùs hoc obseruetur, statim post suam electionem, coràm Diffinitorio fidelitatis iuramentum, per Crucem, & sancta Dei Euangelia, si præsens fuerit, emittet; sin autem posteà coràm patre Vicario generali, & vno Prouinciali, duobusquè Diffinitoribus idem iuramentum faciat, de quo Secretarius fidem præstabit. Quod si aliquis religiosus ad eum de hac re epistolam aliquam mittat, teneatur, sub præstito iuramento, eam Diffinitorio generali, vel prædictis manifestare, vt sic communi Religionis bono maturiùs consulatur.

Procuratori generali Romæ (qui semper vt Prælatus ordinarius in Hospitio illic existente præsideat) omnes Ordinis nostri fratres ad Romanam Curiam declinantes, literas obedientiæ præstent, & causas sui aduentus aperiant, & in omnibus negotijs ipsi obediant. Si verò aliquis, sine licentia patris Vicarij generalis in scriptis, in prædicta Romana Curia repertus fuerit, eum generalis Procurator, cum sua licentia in scriptis, in Hispaniam ad patrem Vicarium generalem, aut eius Prouincialem remittat: nisi pro qualitate rei, eos in carcere detinere, aut aliquo opportuniori remedio vti opporteat. Et talis generalis Procurator iurisdictionem habeat, & commissionem sui Ordinis á patre Vicario

generali,& Capitulo, ad similes (sine tali prædicta licentia repertos) comprehendendos,puniendos,& corrigendos. Poteritqué absoluere apostatas ab excommunicatione,siué alia censura,si forté incurrerint.

Licentiæ veró accedendi ad Curiam Romanam nusquam alicui concedantur sine ingenti,& extraordinaria causa. Ordo autem noster prouideat de moderatis expensis in sustentationem prædicti Procuratoris. Pater autem Vicarius generalis non possit ab officio prædictum Procuratorem reuocare,nisi in Capitulo, vel nisi proptér delicta, quibus iure repulsam á prædicta procuratione mereatur. Sed si talis Procurator generalis Romanæ Curiæ ex hac vita migraueuerit ante consummationem sui officij, vel ob magnã infirmitatem, grauemquè & vrgentem causam, suum officium exercere non potuerit; tunc pater Vicarius generalis alium Procuratorem generalem Romanæ Curiæ(dummodò sit ex eadem prouincia, ex qua erat Procurator generalis defunctus,vel impeditus) nominare poterit, vsqué ad Capitulum generale proximè futurum,cum consilio tamen,& voto decisiuo Prouincialis,& Diffinitorum illius prouinciæ, ex qua eligendus est talis Procurator.Poterit tamen (si absit pater Vicarius generalis) huiusmodi electionem soli Prouinciali cum suisDiffinitoribus relinquere.

Ad negotia autem, quæ in regia Curia sese obtulerint tractanda, Procurator generalis, qui in prouincia diui Iosephi fuerit electus,deputetur, qui habeat omnia requisita in Procuratore Romano præscripta, &

col-

collata sibi á Prouincialibus, & Diffinitoribus prouinciarum, ad gerenda negotia ipsarum prouinciarum, facultate: idemqué iuramentum fidelitatis præstabit. Qui omni sollicitudine, & prouidentia in expeditione negotiorum totius Ordinis vigilet, & incumbat: & teneatur ea negotia gerere, quæ á Prælatis, tàm fratrum, quā monialium, pro suis conuentibus ab eo fuerint petita. Extraneorum verò negotia, nec personalia cuiuscumquè religiosi, nisi à Prouinciali prouinciæ ipsius religiosi ei fuerint commissa, minimè expediat. Si verò tale negotium difficultatem aliquam præferat, tunc consulat patrem Vicarium generalem.

Procurator generalis Regiæ Curiæ totiès exire poterit de conuentu, quotiés negotia id postulauerint. Hortamur verò, vt ea quæ per alium procuratorem sæcularem fieri possunt, illi committat, vt non facilé, pro gerendis negotijs, é conuentu egrediatur. Nunquā verò exeat, nisi petita benedictione á Prælato, siuéPræsidente, & cum socio ab ipso Prælato designato.

Hortamur item Procuratorem generalem, tàm Regiæ Curiæ, quam aliarum prouinciarum, ne per se ipsum, nisi vrgente causa, iudicum sæcularium tribunalia, aut alios iustitiæ, autRegis ministros adeat, ad lites, seu negotia merè temporalia alicuius conuentus, vel cuiuscumqué illa sint, sed hoc per sæcularem, & sollicitum procuratorem exequi curet, cui ipse, quid faciendum sit iniungat, & de omnibus rationem exigat. Poterit tamen Procurator iudices alloqui, cum alijs intercedere, & alia similia facere, quæ optimæ negotiorum

expeditioni conuenire iudicauerit. Idem etiam, quantum ad hoc, quod est, non posse regia tribunalia, aut aliorum iudicum pro negotijs adire, interdicitur omnibus fratribus nostris, vbicumqué sint, sub pœna grauis culpæ per quinque dies, nisi causa vrgens, & Prælati licentia interueniat.

CAPVT VI.

De Officio Vicarij Generalis.

CVm pater Vicarius generalis pastor, & antistes totius Ordinis Discalciatorum sit; cui Ordinem visitare, & cognoscere proprias oues incumbit: in vnoquoquè triennio totum Ordinem, & illius omnia monasteria per se, vel (si ipse non potuerit) per idoneos Visitatores in conscientia bis visitare tenetur. Et in sua visitatione se omnibus præbeat beneuolum, & iustum, & obseruantiæ Religionis amatorem: corrigendo, iàm baculo, iàm (si opus fuerit) virga ferrea: ita vt omnes sibi subditos (in quantum sibi visum fuerit, & possibile) ad veram religionem dirigat. Item Vicarius generalis secum afferat duo sigilla, in quibus sit impressum scutum Ordinis, quorum alterum paruum, alterum verò maiusculum erit; quæ sigilla semper nouo Vicario generali electo tradantur. Et in maiori sigillo impressa erit imago B. Virginis Mariæ, & pueri Iesu, necnon & sancti Ioseph, tali versu circumscripta: PATER VICARIVS GENERALIS TOTIVS ORDINIS DIS-

DISCALCIATORVM B. MARIÆ DE MERCEDE, REDEMPTIONIS CAPTIVORVM.

Item, Vicarius generalis, in ea prouincia vbi præsens fuerit, si Commenda aliqua, vel officium Procuratoris quouismodo vacare contigerit, poterit sanè propria authoritate de Commendatore, aut Procuratore prouidere, eumquè creare, & eligere. Cæterum, ipso absente á tali prouincia, Prouincialis eiusdem prouinciæ prouideat de Commendatore, aut Procuratore, & non Vicarius generalis, cum voto tamén decisiuo duorum Diffinitorum, & his deficientibus, vel Prælatorum, aut vnius Diffinitoris, & vnius Commendatoris. Quæ forma semper seruari debet in omnibus electionibus extra Capitulum á Prouinciali peragendis. Nec rursus potest prædictus Vicarius generalis se solo Prouincialem nominare, aut eligere, vel creare, sed semper Prouincialis á Capitulo prouinciali eligatur.

Præsenti rursús Constitutione sancimus, quod Vicarius generalis nulla ratione possit Capitula prouincialia mutare, vel differre, aut prætermittere: nisi contingat, vt circa tempus, in quo Capitulum generale celebrari debet, pater Vicarius generalis infirmetur, vel duo Capitula eodem tempore occurrant: ita vt in eo assistere non valeat. Poterit tamen ipse tunc anteponere, vel differre Capitulum per vnum vel duos menses, & non ampliús. Si veró hoc eueniat postquam iam Capitulum congregatum est, per ipsum Capitulum decidatur, quid circa hoc agendum sit. Quare electóres cuiuscumquè Capituli, tám generalis, quám

 pro-

prouincialis, cognitó loco futuri Capituli, sciant se esse præsenti constitutione conuocatos, nempè ad Capitulum generale, sexto quoqué anno, in Vigilia Pentecostes: ad Capitulum veró prouinciale, similitér de triennio in triennium, scilicèt, in omnibus prouincijs in Vigilia Dominicæ in Cantate post Pascha, & sine noua conuocatione, in prædiffinito loco Capituli assistant: nisi tempus Capituli à Vicario generali antepositum, vel postpositum fuerit, quia tunc per conuocatorias literas de hoc moneri debent, vt in Capitulo, prædiffinito tempore, compareant. Illi veró, qui dicto loco,& tempore comparuerint, etiam si reliqui absint, ad electiones Vicarij generalis, & prouincialis, & ad reliqua omnia necessaria diffinienda, & quæ in alijs Capitulis fieri consueuerunt, perficienda, procedant. Et quæ ita gesta fuerint valida sint, eamdemquè habeant firmitatem, ac si omnes in vnum conuenissent, absentibus non obstantibus.

Et rursús prædicti omnes, tám fratres, quàm moniales, patri Vicario generali, tanquam patri, ac vniuersali totius Ordinis Discalciatorum pastori, omni cum subiectione, & humilitate obediant, & debitam exhibeant reuerentiam. Ipse veró in toto Ordine generalem potestatem, tám iure, quám Pontificum Romanorum priuilegijs, tám nostræ, quám alijs quibuscumquè Religionibus concessam, & pro tempore cōcedendam (dummodò nostris Constitutionibus non limitetur) exerceat,curamqué totius Ordinis præcipuam,

puam, & adminiſtrationem gerat. Vndè per ſe ſolum eam poteſtatem in toto Ordine habeat, quam Prouincialis in ſua prouincia, & Commendator in ſuo conuentu, & in ſuper eam, quæ ratione ſui officij ex iure communi, ex priuilegio, vel ex noſtris Conſtitutionibus ad eum ſpectat: ſed in inferiorum Prælatorum miniſterium non ſe immiſceat, niſi vel ob eorum defectum, vel cum prudentia, & quando ratio id poſtulauerit. Semper tamèn inferiores illi parére teneantur. Si veró in hoc exceſſerit, cum omni reuerentia Diffinitores eum animaduertant, vel tempore ſuæ viſitationis de hoc humilitèr corrigatur. Nũquam tamen pater Vicarius generalis, inſcijs Prouincialibus, contra ea quæ ipſi fecerint, aliquid ordinabit, niſi ex iuſta, & rationabili cauſa, vel niſi ipſe antè alitèr id fieri ordinauerit vel præceperit.

Vicarius tamén generalis iure harum Conſtitutionum poterit diſpenſare cum fratribus in omnibus rebus, quæ iuxta Ordinis diſpoſitionem, poſſunt, & ſolent concedi à Generalibus, quas inferiores antiſtites; & Commendatores non poterunt impedire, aut prohibere. Socius veró, aut Secretarius ipſius patris Vicarij generalis, obedientiæ ſolius Vicarij generalis ſubiaceat, & non alteri Prælato.

Tandém pater Vicarius generalis, qui aliorum debet eſſe regula, nullo modo habeat aliquid ſibi proprium determinatum, nequé alicuius rei vſum, ſiuè in conuentu, ſiuè extra illum poſſit ſeparatim reſeruare, nec quidquám aliud poſſidére, præter eà quæ

ra-

ratione sui officij, & itineris sunt necessaria, & vnicuiquè ad necessarios vsus ab Ordine concedi consueuerunt.

In omnibus Capitulis, vbi pater Vicarius generalis, vel Viceuicarius loco ipsius, inuentus fuerit, cum voto decisiuo præsideat, tám in electionibus quibuscumqué, quàm in alijs rebus diffiniendis. Et in Diffinitorio proponat etiam ea omnia, quæ sibi visa fuerint, ex ijs quæ ad illud Diffinitorium pertinent: exequi tamen teneatur, quæ in eo fuerint determinata, & astringatur etiám seruare quæcumqué per Præsidentes Capituli prouincialis, simul cum Diffinitorio, statuta fuerint.

Ad patrem igitur Vicarium generalem spectat religiosos de vna in alteram prouinciam transferre, & confraternitatis Bullas in toto Discalciatorum Ordine concedere, in eo præsidère,& similitér in Diffinitorio, & quæ ibi agenda sunt proponere,& quæ decreta fuerint, executioni mandare, & omnia, quæ in nostris Constitutionibus ordinantur, decernere, aut exequi.

CAPVT VII.

De Capitulo prouinciali.

CApitulnm prouinciale tertio quoquè anno fiat in qualibet prouincia. Et Prouincialis non potest eligi, nisi ad triennium, nequè reeligi, donec transacto primo suo triennio, aliud integrum triennium

nium transſeat; celebratur tamèn prædictū Capitulum in omnibus prouincijs in Dominica Cantate, in qua futuris perpetuò temporibus in toto Ordine celebranda ſunt inuiolabilitèr Capitula prouincialia: loco tamèn à Præſidente Capituli, à Prouinciali, ac Diffinitoribus prædiffiuito. In quo vocem habeant eligendi pater Vicarius generalis, vel eius vicem gerens, & pater Prouincialis, aut qui illius vices habeat, & omnes Commendatores prouinciæ, & quatuor Diffinitores, ac Procurator generalis eiuſdem prouinciæ, & hi omnes teneantur venire, & vigilia Vigiliæ liceat oppidum, monaſterium,& conuentum Capituli intrare. Siquis verò antè prædictum tempus, vel ſinè ſpeciali mandato venerit, pœnam grauioris culpæ incurrat, abſquè vlla relaxatione. Si verò aliquis Commendatorum venire non potuerit Capitulum, mittat religioſum, aut nuntium cum literis, cauſam, & ſtatum domus continentibus. Eodem verò die, ſcilicét, vigilia Vigiliæ, omnibus congregatis à Præſidente, & Prouinciali, ac Diffinitoribus examinentur, an omnes ſint legitimè vocales, vt prædictum eſt in Capitulo generali. A die conuocationis, in quolibét monaſterio prouinciæ, vſqué ad vltimum diem Capituli, poſt Nonam dicat conuentus: *Ad te leuaui*, &c. *Gloria Patri*, &c. Cantore ex choro hebdomadarij incipiente: *Veni, ſancte Spiritus*, &c. *Kyrie eleiſon,Chriſte eleiſon,Kyrie eleiſō.Pater noſter.Et ne nos*,&c.*EmitteSpiritum tuum.Saluos fac. Dominus vobiſcum. Oremus*: *Deus, qui corda fidelium*, &c. *Adeſto*,

 Do-

Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; vt inter omnes viæ, & vitæ huius varietates, tuo semper protegantur auxilio. Per Christum, &c.

Statuimus etiam, quod si pater Vicarius generalis intra tempus Capitulo destinatum, illi assistere non poterit, tunc vnum possit idoneum, & prudentem virum fratrem ipsius Ordinis nostri, Præsidentem suum ad Capitulum mittere, cum titulo huiusmodi Præsidentis, & literis opportunis suo sigillo roboratis. Qui Præsidens, eandem habeat potestatem in ipso Capitulo, quam Vicarius generalis, si præsens adesset, haberet; & eadem obedintia; & reuerentia à Commendatoribus, & omnibus fratribus exhibeatur ei, quæ Vicario generali exhiberetur, & quidquid per ipsum Præsidentem, & Diffinitores Capituli (durante Capitulo) diffinitum, aut ordinatum fuerit, robur, & firmitatem obtineat. Post celebrationem verò, & absolutionem Capituli, potestas Præsidentis expiret. Viuente igitur Vicario generali Ordinis, talem (dumprædictum oficium exercet) Præsidentem Vicarij generalis, vel Capituli vocamus.

In vigilia ergo Dominicæ in Cantate, ad auroram, omnes vocales Capituli simùl ingrediantur Capitulũ. Statim dicatur Missa solemnis Spiritus sancti: idemquè fiat eodem die in omnibus monasterijs eiusdem prouinciæ; & ea finita, flexisgenibus, inuocetur Spiritus sanctus, cantando Hymnum: *Veni, Creator.* Deinde surgant, & Prouincialis, vel qui præest, dicat:

Emit-

Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui corda fidelium, &c. *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Postea, signo facto à Præside, hoc ordine sedeant. Primum locum obtineat prouincialis, vel qui præest, secundum Diffinitores suo ordine, & tandem omnes alij vocales, qui omnes iuxta antiquitatem professionis sedeant. Et tunc concio verbi Dei toti Diffinitorio fiat, quæ prædictæ congregationi expediens sit, Latina, vt solet. Ad quod expertus eligatur concionator, & doctus, qui graui rationum pondere, Dei amore, ac Religionis zelo, necessitatem, & obligationem rectè eligendi, proprietatesque, ac conditiones personæ rectè eligibilis omnibus vocalibus erudité exponat. Postea Vicarius generalis, vel qui præest, proponat, & referat fratres defũctos ipsius prouinciæ à tempore Capituli transacti, & statim surgat, & dicatur: *De profundis clamaui*, &c. *Requiem æternam, Kyrie eleison, Christe eleison, Kyerie eleison. Pater noster. Oremus. Absolue quæsumus Domine, animas famulorũ tuorum fratrũ nostrorũ ab omni vinculo delictorũ; vt in resurrectionis gloria, inter sanctos, & electos tuos resuscitati respirent. Per Christũ Dominũ*, &c. Et eorũ animæ maximé commendentur orationibus fratrum prouinciæ. Deinde fiat recommendatio pro Domino Papa, pro Rege, pro benefactoribus Ordinis, & quod semper Deo commendent statum Ecclesiæ, Regem, & Summum Pontificem in suis orationibus, & dicatur. *Ad te leuaui*, &c. *Gloria Patri*, &c. *Kyrie eleison Christe*

te eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos, &c. *Oremus pro Domino Papa* Resp. *Dominus conseruet eũ, & viuificet eũ, & saluũ faciat eũ in terra, & nõ tradat eũ in manus inimicorũ eius.* Vers. *Saluos fac seruos tuos, & ancillas tuas.* Resp. *Deus meus*, &c. *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus; prætende super famulum tuum Papam nostrum N. Et super cunctas congregationes illi commissas, Sipiritum gratiæ salutatis: & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cælestis auxilij: vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant, essequantur.* Hæc suffragia possunt fieri, si placuerit Præsidenti, in vigilia Vigiliæ, post Vesperas, & in Vigilia Dominicæ in Cantate potest dici Missa Spiritus sancti, & haberi concio, & reliqua quæ hic ordinantur.

CAPVT VIII.

De electione Prouincialis.

POst dicta Prouincialis, vel qui præest primó, & secundò, moneat excommunicatos, & iure prohibitos, si qui sint, á præsenti electione exire. Posteá singuli electores, & vocales iurent in manibus Præsidentis per Deum, & Crucem, & sancta Dei Euangelia proprijs manibus tacta, quod eligent in Prouincialem, fratrem, ad minùs per duodecim annos in Ordine nostro professione antiquum, virum religiosum, prudentem, & doctum, & absqué odio, amore, vel pretio

tio, qui (judicio ſuo) in ſpiritualibus, & temporalibus meliùs reget & gubernabit prouinciam. Tunc ſuo ordine vnuſquiſquè (ſeruatis requiſitis omnibus ſupra expreſſis cap. 3. in electione Vicarij generalis, præceptumqué obedientiæ ibi impoſitum circa ſecretum iterúm renouantes) proprias ſechedulas portet, in quibus nomina eligendorum exprimantur: & poſteà in vaſa ante altare præparata, ſecretó mittantur, ita tamen, vt eligentes, & vaſa ab omnibus videantur. Poſtquam veró omnes per ſchedulas vota ſua vaſa coniecerint: tunc Vicarius generalis, vel qui præeſt, & Prouincialis, cum omnibus Diffinitoribus, & Sacretario Capituli, vota omnia ſcrutentur, & computent: & ſi maior pars medietate eligentium in aliquo frater conuenerit, tunc ſcrutinium publicetur, & electio (tamquam cononica) denuntietur à Vicario generali, vel Præſidente coram omnibus electoribus, & Secretario Capituli, qui fidem omnium ſcripto præſtabit. Sin autém maior pars eligentium non conuenerit, ſecundó, & tertiò ad ſcrutinium procedatur. Et ſi ſecundó, & tertió non conuenerint, ibi illis miniſtretur panis, & aqua ſolùm, & indé non egrediantur (vt dictum eſt de electione Vicarij generalis) donèc maior pars medietate eligentium conueniat, vt fiat canonica electio. Qua peracta antequam electo Prouinciali præſtetur obedientia in aliquo, juret coram Præſidente, & electoribus, & Secretario Capituli, per Deum, & Crucem, & ſancta Dei Euangelia, manibus ſuis ſponte tacta: quod ſecundùm

De-

Deum, & propriam conſcientiam erit obediens patri Vicario generali Diſcalciatorum Ordinis, & ſucceſſoribus,& quod fidelitèr omnia,quæ tàm adRedemptionis captiuorum curam, quàm ad obſeruantiamConſtitutionum dicti Ordinis, & bonam gubernationem religioſorum concernunt, abſquè vllo odio, vel amore, ſecundùm Deum, & propriam conſcientientiam exequetur. Et quod de omnibus, quæ ratione officij receperit,in Diffinitorio rationem reddet:nequè relaxationē iuramenti,nec diſpenſationē in aliquo,à ſede Apoſtolica petet. Et facto iuramento, & non alitér,ab omnibus obedientia præſtetur prædicto Prouinciali electo.Et Cantor incipiat:TeDeum laudamus.Et fiat proceſſio intra conuentum, & procedant ad Eccleſiam, Prouincialis electus ad dexteramVicarij generalis,ſeù Præſidentis, & Prouincialis præcedens ad ſiniſtrā.Qui eundem locum,& vocem,tàm conſultiuam, quàm deciſiuam,in omnibus actibus illius Capituli habeat. Et cùm ad Eccleſiam peruenerit,Prouincialis electus ante altare proſtretur, & pater Vicarius generalis, ſeù Præſidens dicat: *Saluum fac*, &c. *Dominus vobiſcum*, &c. *Oremus. Concede, quæſumus, omnipotens Deus, vt famulum tuum, quem ad regimen animarum in hac prouincia N. elegimus; dono tuæ gratia proſequaris: vt te largiente, cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Deus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuſti da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum*, &c. *Oremus. Protege, Domine, famul-*

mulos tuos subsidijs pacis; & Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à cunctis hostibus, & periculis redde securos. Per Christum Dominum nostrum Resp. *Amen.*

Posteà præstet obedientiam patri Vicario generali, vel Præsidenti eius nomine: deindè cæteri omnes fratres obedientiam humilitèr præstent ipsi Prouinciali nouitèr electo, & ab illa hora triennij sui officium cõputetur, vsque ad Dominicam in Cantate post tres annos. Et infra sexaginta dies patri Vicario generali, si fuerit absens, dicta electio præsentetur, vt illam approbet, & confirmet. Si verò Capitulo intersit, alia noua confirmatio necessaria non est.

Statuimus etiam, & ordinamus, quod Prouincialis prædictus, statim atquè fuerit canonicè electus, in eodem Capitulo prouinciali vtatur officio suo, sub titulo, & nomine Prouincialis electi, vsquè ad confirmationem prædictam patris Vicarij generalis absentis. Postquàm verò prædictus Prouincialis electus fuerit à patre Vicario generali confirmatus, confirmationem vniuersæ prouinciæ denuntiet, & titulum habeat Prouincialis absolutè; cui omnes, & singuli fratres illius prouinciæ in spiritualibus, & temporalibus obedire teneantur. Idem omninò fiat in electione cuiuscumquè Prouincialis, tàm prouinciarum, quæ modo sunt, quàm in electione earum, quæ pro tempore erunt in vniuerso orbe.

CA-

CAPVT IX.

De Vicario prouinciali, & eius electione.

SI Prouincialis officium quouismodò ante diffinitum tempus trium annorum vacare contigerit, siuè per mortem, absolutionem, vel renuntiationem, vel ex quacumquè alia causa, tunc eius vices, & locum teneat in prouincia ilius Vicarius prouincialis, qui in omnibus, & per omnia jus habeat regendi, & gubernandi totam prouinciam, ac si verus esset prouincialis, & suo tempore conuocandi ad prouinciale Capitulum: quod semper fiat post triennium transactum ab electione Prouincialis mortui, vel quomodolibét deficientis.

Hic autem Vicarius prouincialis in vltimo anno, in quo futura est Prouincialis electio, non possit Commendatorem aliquem suo officio priuare, nisi proptèr grauia delicta, vel ob culpas á Constitutionibus expressas, pro quibus est statuta priuatio: & de consilio semper duorum Diffinitorum vel Prælatorum, vt cap. 6. dictum est. Possit tamén Commendatores ab vna in alteram Commendam transferre. Imò veró, si ei ob causas sufficientes videatur expedire, eos ab officio suspendere, vsqué ad prouinciale proximum Capitulum. Et tempore suspensionis durante, fratrem eligat, qui in conuentu præsideat. Commendatores tamen, qui ab officio suspensi sunt, & non priuati à prædicto Vica-

Vicario prouinciali, habeant vocem in electione Prouincialis proximè futura,& in electione Diffinitorum, & in omnibus alijs, ficut cæteri Commendatores: quod ita faciendum decernimus, vt negotiationes, & alia id generis non inualeſcant.

Quotiés pater Prouincialis temporali aliqua abſentia à prouincia diſceſſerit, ſe ſolo poſſit Vicarium prouincialem eligere. Si tamén prouincialatus abſolutè vacauerit per priuationem, aut renuntiationem illius, tunc Vicarius generalis, à quo talis priuatio, aut renuntiatio acceptatur, cum quatuor Diffinitoribus, per ſecreta ſuffragia, Vicarium prouincialem eligat Niſi. tùnc ex prouincia abeſſe contingat, & cõmodè, ac breuitér ad illam venire non poſſit; quia túnc poterit per ſe ſolum electionem efficere. Si deniqué morte prouincialatus vacauerit, tùncCommendator domus, in quà deceſſerit, vel Præſidens certam illam faciat patri Vicario generali, ſi intra quindecim dies id fieri poteſt. Si tamén intra hoc tempus moneri nõ poteſt,vel ſi exiſtens ipſe in aliena prouincia,deVicario prouinciali intra viginti dies prouidère nõ poſſit, præſẽtiCõſtitutiõe ſtatuimus,quod interim vices Prouincialis ſubſtituat is,qui ex eadem prouincia officium Vicarij generalis obierit. Quòd ſi plures eódẽ munere fũcti fuerint,antiquior illorũm in officio ſuccedat.His autem deficientibus; qui Prouinciales anteá eiuſdem prouinciæ fuerunt, eodem ordine ſeruato, eius vices gerant.Si autem,& iſti deficiantCommendatorSanctæ Barbaræ Matritenſis, in prouincia Sancti Ioſephi:

Commendator veró de San-Lucar,in Prouincia Conceptionis: in prouincia veró sancti Patris nostri Raymundi, Panormitanus Commendator, in Prouincialis officium succedat. Vicarius autem generalis, statim ac commodé possit, electionem Vicarij prouincialis exequatur, siué cum quatuor Diffinitoribus, si túnc temporis in eàdem prouincia fuerit, siuè per se solum, si in alia prouincia morari contingat. Dictus autem Vicarius prouincialis prouinciam gubernet, vt dictum est, vsqué ad finem triennij, quo Prouincialis officium duraret, si non obijsset. Si autem perduos annos integros dictus Vicarius prouincialis prouinciæ præsit, in Capitulo immediaté sequenti iterúm eligi non possit. Caueat autem pater Vicarius generalis, ne prouinciali viuente, & cùm actu vtitur suo officio, Vicarium prouincialem eligat, qui simúl cum eo prouinciam moderetur: esset enim schisma inter subditos, & diuisionum occasio. Solùm enim cùm ex rationabili causa prædictus Vicarius generalis Prouincialem ab eius officio priuet, aut suspendat, valida erit Vicarij Prouincialis institutio, & non alitèr.

C A P V T X.

De prima die Capituli prouincialis, & de electione Diffinitorum, & Procuratoris generalis prouinciæ.

STatuimus, & ordinamus, vt electone canonica Prouincialis peracta, ipsa die quam primùm fieri pos-

poſſit, omnes Commendatores ſuo ordine ſtantes coram Præſide Capituli, & vtroquè Prouinciali, tàm electo, quám præcedente, cum Diffinitoribus, ſinguli titulum, ſeù literas ſuæ Commendæ deponant, & ſtatum, debitamqué domus ſibi commiſſæ rationem reddant, cum ſubſcriptione clauigerorum. Portentquè ſecum memoriam religioſorum, qui in ſuo conuentu eo triennio deceſſerunt: & de omnibus Ordinis defunctis, pro quibus in eo conuentu facta ſunt ſuo tempore ſuffragia. Copiamquè ſimilitér ferant de omnibus religioſis, tám profeſſis, quã nouitijs, cum eorum qualitatibus, & circumſtantijs, ſcilicèt, vnde ſint oriundi, vbi profeſſi, quot annos ætatis, aut profeſſionis habeant: ſi ſint Cõfeſſarij, aut Prædicatores: narrãdo ſolũ vera.

Quod ſi quis falſa narrare inueniatur, pœnæ grauioris culpæ ſubiacebit. Hanc etiam relationem de omnibus religioſis ſuæ prouinciæ, ſecundum ordinem conuentuum, Prouincialis defferat ad Capitulum generale.

Poſteà Miſſa celebretur, in qua omnes non Preſbyteri communicent, reliqui veró Sacerdotes omnes Diuina celebrent tribus primis diebus pro benefactoribus Ordinis. Quarta verò die totum officium, & omnes Miſſæ, cum concione pro fratribus defunctis ſint: niſi hæc ſuffragia in aliqua prouincia pro illius Patrono alitér debeant applicari.

Rurſus ſeſſione ſequenti poſt Veſperas, ſtatim ad electionem Diffinitorum procedatur. Qui ab ipſis electoribus, á quibus Prouincialis proceſſit, eodem

modo, nimirùm per suffragia secreta, eligendi sunt (dummodò in Capitulo immediaté præcedenti non fuerint nominati) vt latiús infra capite 16. de Diffinitoribus dicetur. Electis ergo Diffinitoribus, duo in Ordine professione antiquiores dexteram Prouincialis electi, duo verò sinistram teneant Prouincialis præteriti, & inter vtrũquè Prouincialẽ pater Vicarius generalis sit, vel eius vices gerens. Et hi omnes, cæteris exclusis, omnia quæ ad statũ, & regimen illius prouinciæ, & prouissionem domorũ, electionem Cõmendatorum, & officij Procuratoris generalis prouinciæ, decernant, & prouideant, omni odio, & amore postpositis.

CAPVT XI.

De secunda die Capituli prouincialis.

SEcunda veró die fiant proclamationes in Capitulo, & recitentur literæ Cõmendatorum, & fratrum: sæcularium verò, nisi Summi Pontificis, vel Regis fuerint, minimè aperiantur, donéc sit finitum Capitulum. In proclamationibus veró, & quærellis, vno stante, & loquente, alius non loquatur. Nullus faciat proclamationem super aliquid ex sola suspitione: nullus etiam accuset de auditu, nisi declaret á quo audierit, & sit præsens in Capitulo. Sed si accuset de crimine, debet per sufficientes testes probare, aliás pœna accusato debita puniatur. Prouincialis, & Visitator præcedentis triennij Prouinciali electo, & Diffini-

finitoribus oſtendant viſitationes, non omnes, ſed eas quæ pro ſui grauitate, matura conſideratione, tali loco fuerunt reſeruatæ. Reliquæ veró viſitationes comburantur, & conſummantur. Nihilominús tamèn Prouincialis præcedentis Capituli, cum ſui temporis Viſitatoribus, verè; & fideſitèr, ſecundum Deum, & proprias concientias, nouo Prouinciali electo, nouiſqué Diffinitoribus refferant mores, vitaſquè Prælatorum. Quibus cognitis, ad eorum emendationem, & correctionem procedant. Et officia, & dignitates, non perſonis, ſed domibus, & Religioni prouideant, ſicut de iureiurando tenentur. Præcipimus in virtute Spiritus ſancti, ſanctæqué obedientiæ, & ſub excommunicationis ſententia, vt nullus, quæ in Diffinitorio tractantur, & aguntur, alicui dicat, & communicet, nec alij fratres ea; quæ in Capitulo tractantur, ſæcularibus narrent, vnde damnum, ſeù infamiam Religio noſtra incurrat, aut diuiſionem Ordinis, vel ſuum antiquum religioſum ſtatum, iuriſdictionem, dignitatem, & præeminentiam quouiſmodo lædere tentent, aut aliquo modo perturbent. Quod ſi quis fecerit, tamquam conſpirator, & Religionis inimicus, ſuffragijs, & beneficijs Ordinis noſtri ſit alienus, & pœnæ grauiſſimæ culpæ abſquè relaxatione ſubiaceat, & perpetuó carebit officio in Ordine noſtro. Si verò aliqua rerũ tẽporaliũ inter aliquos conuẽtus oriatur cõtrouerſia, ne his Diffinitoriũ impediatur, vbi rés ſpirituales principaliús tractandæ ſũt, Prouincialis, de cõſilio Diffinitorum, nominet duos viros religioſos, & prudentes,

tes, qui discussa veritate, huiusmodi lites dirimant, & componant,& inter fratres iudicent,& pacem constituant, quorum iudicio standum est. Et hi iudices causarum nominentur.

C A P V T XII.

De tertia die Capituli Prouincialis.

TEertia verò dieCapituli vocentur iudices signati pro litibus dirimendis, an sit aliquid non diffinitum, nec compositum, & á Prouinciali, simùl cum Diffinitoribus, & iudicibus conferatur, & vt maiori parti visum fuerit, iudicetur. Si verò Visitator, aut Prouincialis præcedentis trienij proclamatus, & accusatus fuerit, & de aliquo criminè conuictus, Vicarius generalis, aut eius Præses, cum Prouinciali electo, & cum prædictis iudicibus, & Diffinitoribus in Diffinitorio corripiant secretó, & puniant, secundum exigentiam delicti. Posteà solus Vicarius generalis, vel Præsidens Capituli, & Prouincialis, scilicèt, nouitèr electus, & præcedens (qui etiam in omnibus actibus Capituli vocem habeat, vt dictum est) quatuorqué Diffinitores, nulla alia persona cuiuscumquè status, officij, vel conditionis admissa, inuicem conferant, quæ ordinanda sunt. Et Præsidens primó, & secundó, & tertió moneat, & adjuret, & præcipiat eisdem in virtute Spiritus sancti, sanctæquè obedintiæ, vt in his quæ determinanda sunt, non pro vniuscuiusqué

qué arbitrio, sed maturè, & circumspectè considerent digniorum qualitates,fratrum mores,& sufficientiam, omni odio, amore, fauore, & pretio procùl pulsis. Quód si alitér fecerint, indignos nempè, vel minus dignos ad dignitates promouendo, existiment Religioni grauissimum damnum, & iniuriam irrogari, & Deum grauissimé offendi, & restitutioni teneri, quorum pœnitentia vix tanta esse poterit, vt pro delicto satisfaciant. Adiuratione, & præcepto proposito,in nomine Dómini nostri Iesu Christi, eiusque immaculatæ Matris Virginis Mariæ: primò de correctionibus fratrum, tàm præsentium,quam absentium tractent,&pœnas suis excessibus dignas iudicent, & scribant.Deinde, seruato modo, qui in Capitulo de electionibus in communi, & in particulari dicitur, per suffragia, & vota secreta eligant Commendatores, & Prælatos pro gubernatione ominum domorum prouinciæ,& Procuratorem generalem illius, qui solùm vocem habebit in electione Vicarij generalis, & Prouincialis, non verò in alijs actibus, & determinationibus Capituli, vt dictum est. Tandém, de loco vbi futurum Capitulum celebrandum est,conueniant. Si verò in his determinandis, Diffinitores sint diuisi in partes æquales, præualebit pars, cum qua Vicarius generalis, seù eius vicem gerens concordauerit: aliàs maior pars valebit, cúm omnes in his determinandis in voce sint pares.

CA-

CAPVT XIII.

De quarta die, & absolutione Capituli prouincialis.

QVarta die conueniant omnes in Capitulo, & Præsidens, quæ sunt publicé reprehendenda, & emendanda proponat. Et legantur, quæ in Diffinitorio sunt determinata, & tabula Commendatorum. Quibus lectis, nullus murmuret, nullus reclamet, nequè appellet, nullus contradicat, sed omnes humilitér obediant, & debitè suscipiant. Posteá stans Vicarius generalis seù eius Presidens, alij flexis genibus, dicant: *Confiteor Deo*, &c. Resp. *Misereatur vestri*, &c. *Ego authoritate* Dei *omnipotentis Patris, Filij, & Spiritus sancti, & authoritate mihi commissa, absoluo omnes fratres nostro regimini commissos, ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & irregularitatis (si indigeant) & ab omnibus transgressionibus, excessibus, seù omissionibus Regulæ, & Constitutionum nostrarum, quantum ego possum, & quod non possum, suppleat, & perficiat summus, & omnipotens Sacerdos, & Pontifex Dominus Iesus Christus: & iniungo vobis in pœnitentiam, & in remissionem omnium peccatorum, quidquid bonifeceritis, & specialitèr iugum obedientiæ, & regularis obseruantiæ disciplinam. Nequè intendimus absoluere perditionis, & iniquitatis filios, latrones, proprietarios, & apostatas, sed per viscera misericordiæ Dei nostri, eos primò, secundò, &

& tertiò monemus, vt profugi, & apoſtatæ corde humili reuertantur. Alioquin, ex nunc in ſcriptis de nouo excommunicationis ſententia innodamus, & declaramus. Et quia qui perſeuerauerit vſquè in finem, hic ſaluus erit; authoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, Spiritus ſancti, benedicimus in Chriſto chariſſimos fratres, & filios, tam abſentes, quam præſentes, quantum poſſumus, & quod fragilitas noſtra non obtinet, ſuppleat, & perficiat Dominus Ieſus Chriſtus ſua larga benedictione, qui ſit vobiſcum in itinere veſtro, & ad domos veſtras ſanos, & incolumes reducat, qui viuit, & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Cantor tunc incipiat *Te Deum laudamus.* Et eant omnes in proceſſione ad Eccleſiam. Quo finito, dicat Vicarius generalis, vel qui eius vices gerit. Verſ. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis* Reſp. *A templo tuo, quod eſt in Ieruſalem.* Verſ. *Domine exaudi.* Verſ. *Dominus vobiſcum. Oremus. Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra operatio á te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.* Deinde ſubmiſſa voce dicat. Verſ. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.* Reſp. *Qui fecit cælum, & terram.* Et ſuo ordine manus Prouincialis electi omnes oſculentur: & ſic abſoluitur Capitulum. Quo abſoluto, Prouincialis, & Diffinitores legant literas ad Diffinitorium miſſas, & prudentér, & cum conſilio reſpondeant. Deinde inſtrumenta publica cum ſigillo Ordinis, & ſubſcriptionibus Præſidentis Capituli, prouincialis, & Diffinitorum

omnium, & á Secretario Capituli singulis Cõmendatoribus, Procuratoribus, ac Diffinitoribus distribuantur. Prouincialis veró solus assignet, & distribuat conuentuales, secundúm domorum necessitatem, vt melius viderit conuenire. Capitulum verò prouinciale semper intra quatuor dies terminetur, nisi ex maxima causa, Vicario generali, aut eius Præsidenti, cum Diffinitoribus visum fuerit per breue tempus prorrogare.

CAPVT XIV.

De officio Prouincialis.

PRouincialis in triennio sui officij omnia, & singula monasteria suæ prouinciæ per se, vel si non potuerit, per idoneos Visitatores bis visitare tenetur. Et in sua visitatione, tamquam verus pastor, omnibus prouideat, tám in temporalibus, quàm in spiritualibus. Nequè extra actualem visitationem aliquem fratrem de domo in domum transferat, nisi ex iusta causa, vel nisi priùs ipsius fratris voluntate præcognita; vel alicuius delicti (de quo sit conuinctus) occasione. Nequè licentias, absquè nomine determinati religiosi, concedat. At in visitatione mutet fratres, prout sibi conueniens visum fuerit. Et cum visitat, Prædicatores, Confessores, & ordinandos per se ipsum examinet, vt cap. 23. Dist. 1. dictum est: & quos insufficientes inuenerit, repellat. Nequé permittat eos his,

&

& similibus ministerijs vti, si idonei non fuerint reperti, sciens omnium illorum Deo esse rationem redditurum. Imò veró in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis actiuæ, & passiuæ vocis præcipimus, ne cuiquam ex fratribus nostris á Prouinciali, neque á suis Prælatis dimissoriæ ad ordines concedantur, nisi iuxta formam sacrosancti Concilij Tridentini, & cognita eorundem fratrum sufficientia, tám in ætate, quam in moribus, & literarum peritia. Et id ipsum obseruent sub eodem præcepto, & pœna omnes,quibus commissa,& demandata fuerit facultas examinandi prædictos fratres. Statuimus etiam, & ordinamus, quod si Prouincialis infirmari contingat, aut á sua prouincia abesse per longum, aut notabile tempus, minimé recedat, nisi Vicarium prouincialem priùs instituat, qui eisdem in omnibus gaudeat priuilegijs, & iuribus,sicut,& Pronincialis ipse, vt superiús retulimus. Alitér tamen Vicarium prouincialem non instituat, vt Prælatorum multitudo vitetur. Caueat autem quicumqué Prouincialis, ne monasteria superfluis sumptibus grauet, sed moderatis expensis, sicut cæteri fratres, sit contentus: ne Prouincialis, qui domos adiuuare tenetur, iilas consummat, & perdat. Similitér pro expensis itineris solum petat, & recipiat id, quod veré sufficere potest, & itineri est necessarium, & qua breuitate potuerit,á visitatione se expediat, & si fieri potest, intra sex, vel octo dies visitatio terminetur.

Ad Prouincialem spectat, ad habitum, & professionem,

sionem, tám fratribus, quám monialibus, iuxta nostras Constitutiones, licentiam præbere; literas confraternitatis suæ prouinciæ concedere; fratres intra suam Prouinciam de vno conuentu in alium transmutare; & extra prouinciam, si commodè ad patrem Vicarium generalem recurri non potest, & pro breui tempore, quando opus sit, ad aliquod negotium mittere; & religiosis professis, iuxta superiùs statuta, dimissorias concedere. Prouinciali etiam competit superiores monialium confirmare, & earum electioni assistere, admittere earum renuntiationes, similitèr, & in fratribus admittere renuntiationem illorum officiorum, quorum electio, seù assignatio non fit in Capitulo generali. Poterit etiam excommunicatos per violentam manum iniectionem in fratres Ordinis, & etiam ab apostasia absolure: & cum ijs, qui in apostasia celebrauerint, supér irregularitate dispensare. Et deniquè tam in censuris, quàm in alijs eandem facultatem habeat, quam tàm iure communi, quám Pontificum priuilegijs aliorum Ordinum Prouinciales sortiuntur, nisi in casibus, in quibus eorum potestas nostris Constitutionibus fuerit limitata.

Prouincialis pro socio eligat aliquem Sacerdotem, qui illi sit immediatus, qui suo consilio, prudentia, & labore, in suscepto onere eum possit adiuuare. Teneaturquè statim post suam electionem, quam primùm commodè poterit, omnes conuentus prouinciæ perambulare, & visitare: & studeat omnia debitè disponere, & religiosos in eis conuentibus, vbi magis

ex-

expedire viderit, accommodare, & vbi ſuauitér Religionis iugum ferant, Deoquè ſecundùm ſuam Regulam, & Conſtitutiones perfectè famulentur. Hortamur verò in Domino, & præcipimus Prouincialibus, né facilitèr religioſorum mutationibus annuant, cùm ex eorum curſu, & vagatione maximum detrimentum Religioni proueniat.

CAPVT XV.

De electionibus in communi, & in particulari.

IN primis igitùr ordinamus, vt electiones omnes fiant per ſchedulas ſecretas, vt ſacrum Concilium Tridentinum præcipit. Aliæ autem minoris momenti, quibus Depoſitarij conuentus, aut ordinandi, ſeù ad habitum, vel profeſſionem recipiendi decernuntur, fiant per calculos albos, vel nigros. Præterea, electiones omnes canonicè fiant: electionibus veró canonicam appellamus, quando aliquis habuerit pro ſe plura vota, quam alijs omnes ſimul, quod eſt habere vltra dimidiam partem omnium votorum. Quando in aliqua electione plures ſimùl ſunt eligendi (ſicut contingit in Diffinitoribus) tunc ſinguli vocales ſuis proprijs, ac diuerſis ſchedulis, iuxta ſuperius dicta, ſingulorum nomina ſcribant, & illi qui prima vice ex omnibus habuerint plures voces, cenſeantur canonicé electi. Decernimus etiam, vt omnes controuerſiæ in omnibus electionibus ortæ à Diffinitorio decidantur; quod ſi de electione Vicarij generalis

ralis dubium aliquod occurrat, pater Vicarius generalis præcedens, & Diffinitores teneantur illud omninò per maiorem partem Diffinitorij, infra diem naturalem decidere, quorum resolutioni nemo contradicat, sub pœna priuationis officij vocis, & loci in perpetuum irremissibilitèr incurrenda.

Statuimus etiam, quod si Vicarius generalis nouitér electus absens fuerit, statim per specialem nuntium electio ei denuntietur, & omnes eius aduentum vsque ad octauum diem (si intra illum commodé ad Capitulum peruenire possit) expectabunt; nihilquè, illo absente, fiet. Ipso veró longiùs agente, quàm intra prædictum tempus aduenire possit, tunc Vicarius generalis præteritus, aut Præsidens, vel eius vicem gerens, loco Vicarij generalis electi, tempore Capituli, cum Diffinitorio præsideat, & omnia in Capitulo fiant, ac si ipse Vicarius generalis esset præsens. Cui Presidenti, nomine Vicarij generalis electi, & absentis, omnes obedientiam humilitér præstent. Hoc idem seruetur in electione Prouincialis, si Prouincialis electus absens à Capitulo fuerit, cuius aduentum vsquè ad sextum diem (si intra illum commodè ad Capitulum peruenire possit) expectabunt. Sin veró intra dictum tempus aduenire non possit, Præsidens Capituli (toto tempore Capituli durante) cum Diffinitorio præsideat, & omnia fiant, ac si ipse Prouincialis electus esset præsens, & ipsi Præsidenti Capituli, nomine Prouincialis electi, omne obedientiam præstabunt. Si autém ex Diffinitoribus electis in

Ca-

Capitulo prouinciali, aliquis defecerit, loco illius Diffinitor antiquior ex præteritis ſufficiatur, & ſic de ſingulis Diffinitoribus, ſi plures contingat abeſſe.

In electionibus, nec pater Vicarius generalis, nec alius Ordinis ſuperior ius habeat nominandi perſonam aliquam ad electionem. Poterit tamén, cauſa electionis dirigendæ, vnum, vel duos fratres ex dignioribus ad officium exequendum, eligentibus ob oculos ponere: ſemper tamèn ipſi liberi maneant ad electionem faciendam, tàm ex ijs qui propoſiti ſunt, quam ex quibuſuis alijs.

Nullus audeat in electione quacumqué vocales inducere precibus, pollicitationibus, ſiuè minis, aut quocumqué alio modo corrumpere directé, vel indirecté, vt alteri ſuffragentur, vel non ſuffragentur; ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſiuæ; inſupér, tamquám perturbator pacis irremiſſibilitér tribus annis priuetur ab officio, quæ pœna á Prælàtis omninò executioni mandetur. Ordinamus prætereá, vt qui ratione alicuius ægretudinis non poſſit penitùs choro intereſſe, nec actibus communitatis regularitèr, & vt in plurimum aſſiſtere, eo ipſó maneat inhabilis ad officium Vicarij generalis, Prouincialis, & Commendatoris, atqué Rectoris.

Pro electione verò Prælatorum, ſtrictè id volumus obſeruari, vt in omnibus electionibus digniores præferantur, in quo electorum conſciencias grauitér oneramus, & monemus, vt in primis meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam, & tuendam Ordinis diſciplinam

vti-

vtilius posse facere, quam si bonos pastores, & ad Religionem gubernandam magis idoneos studeant promoueri. Præcipuè verò in omnibus inspiciantur mores, prudentia, scientia, vita communis, puritas, & regularis, ac inuiolabilis obseruantia. Multò verò magis elaborandum erit, nè in electione eius, qui super omnes constitui debet, errare contingat, ita vt quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vndè is, qui toti Ordini, prouinciæ, aut monasterijs præfici debet, oportet, vt respectiuè sit talis, cuius comparatione ipse solus pastor, & cæteri grex dicantur. Quaré ij Prælati eligantur, qui non solùm doctrina, sed factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus (quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) subditos ad obseruantiam regularem prouocent, ac veluti compellant. Et vt in nostraCongregatione probatioreseligantur, Vicarius generalis ex toto Ordine assumatur, qui ad minùs quadragesimum ætatis suæ annum attigerit, & post assumptum nostri Ordinis habitum, laudabilitèr duodecim annorum spatio in sua professione fuerit conuersatus: sit etiam in Theologia, vel in sacris Canonibus peritus. Ad officium Prouincialis, vtpotè tanti ponderis,& dignitatis, nulla ratione admittatur, nisi qui morum, & vitæ perfectionè alios longè præcellat, qui sit prudens, & trigesimum tertium ætatis annum, & habitus professorum decimum habuerit. Diffinitores virtute, prudentia, consilio præditi, & ad minus ætatis triginta trium annorum sint, & qui per octo annos habitum Ordinis

ge-

gestauerint. Ad Commendatoris veró ministerium sufficiat trigesimum ætatis annum attigisse, & professionis octauum, dummodò sit spectatæ vitæ maturoqué consilio, & Religionis zelo præditus. Et tám ad officium Prouincialis, quám Diffinitoris, aut Commendatoris requiritur, vt eligendi bonis literis sint instructi,& quod ea,quæ ad sui muneris rectam administrationem, & executionem necessaria sunt, sufficientér nouerint. In prouincijs denuò erigendis, liberè ex toto Ordine, absquè vlla limitatione, ad earum officia administranda religiosi assumantur, pro tempore quo Capitulum generale iudicauerit.

Studentes, nisi transacto integro anno postquám studium consummauerint,non poterunt eligi in Commẽdatores.In aliquó verò casu,de licentia Patris Vicarij generalis, vel Prouincialis poterit aliquis ex eis in Vicarium alicuius collegij constitui.

In electione autem Vicarij generalis,& Prouincialis non pulsentur cymbala crebris pulsationibus, rapidisqué ictibus repercussæ campanæ, quos Hispani, Repiques appellant. Possunt tamen pulsari campanæ in processione, & eo modo, quo in alijs processionibus: nequé fiant alia signa exteriora ignium, aut luminum, nequé processiones extra domum, nequè conclusiones, nequé sermones, exceptis diebus, qui á populo seruantur, si in tempore Capituli occurrerint, & vltima die pro defunctis.

Ordinamus prætereá,vt qui directé,vel indirectè,per se,vel per alios,aut quocũquè alio modo ambitionis,vel

prætensionis alicuius officij in Religione signa dederit, voce actiua, & passiua ipso facto tribus annis careat, quod á Prælatis omninó, & irremissibilitér executioni mandetur.

CAPVT XVI.

De statu omnium prouinciarum, & de quibusdam alijs ad totumOrdinem spectantibus.

QVælibet prouincia duo habeat sigilla, alterum paruum, in quo scutum Ordinis sit exaratum, & supra illud imago aduocationis illius prouinciæ: alterum veró maiusculum, in quo simúl cum scuto Ordinis sit eadem imago, præcipuè in prouincijs quæ modò sunt, quod ita fiat, vt sigilla prouinciarũ cognoscantur, & distinguantur: & hæc nouo Prouinciali in principio sui officij tradantur. Sigillum igitur prouinciæ Conceptionis B. Mariæ Viriginis in VVandalia, simùl cumOrdinis scuto, imaginẽhabeat Conceptionis eiusdem BeatæVirginis Mariæ, his literis circumscriptam. *Prouincialis prouinciæ Conceptionis, Discalciatorum Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum.* Sigillum veró prouinciæ D. Ioseph inCastellæRegno, simul cum Ordinis scuto, imaginem habeat eiusdem S. Ioseph, his literis circumscriptam. *Prouincialis prouinciæ S. Ioseph, Discalciatorum Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum.* Sigillum veró prouinciæ Sancti Patris nostriRaymundi Nonnati in Italia,

lia, & in vtriuſquè Siciliæ regnis, præter ſcutum Ordinis, imaginem habeat eiuſdem Sancti Raymundi, his literis circumſcriptam. *Prouinicialis prouinciæ Sancti Raymundi Nonnati, Diſcalciatorum Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum.* Et ſic titulus prouinciæ Bethicæ erit Conceptionis, Caſtellæ autem S. Ioſeph, Italiæ verò Sancti Raymundi Nonnati. Quibus ſigillis nemo vtatur ſub pœna grauis culpæ.

Statuimus rurſus, atquè ordinamus, quod ſolus Pater Vicarius generalis in Ordine noſtro poſſit conferre fratribus licentiam,vt ab vna prouincia tranſeant in alteram, vt dictum eſt cap. 7. Nequé eam poſſit conferre etiam Viceuicarius illius, aut vllus alius ex fratribus totius Ordinis. Et ſi quis ſine predicta Vicarij generalis licentia in aliam prouinciam ſe ipſum tranſtulerit,tamquám fugitiuus puniatur áProuinciali prouinciæ, vbi repertus fuerit, & Prouinciali ſuæ prouinciæ remittatur. Præter hac autem, omni tempore quo caruerit ipſa licentia,in alienaprouincia exiſtens,& abſens á propria,nequé habeat,nequé poſſit habere vocem actiuam, aut paſſiuã,nequè in illa,nequè in altera prouincia, in quo generalis Vicarius diſpenſare non poſſit, vt vocem habeat, quouſquè aſſignatus fuerit tamquám habitator alicuius prouinciæ, illiqué deputatus. Verùm in hac re Vicarij generalis conſcientiam oneramus, ne ex fratribus quemquam ab vna prouincia transferat in alteram, ſine grauiſſima cauſa: potiſſimè tamen inſtante electione Prouincialis.

Fratres noſtri compatres non ſint, quoniam á jure id prohibitum eſt. Nullus quoqué frater Ordinis noſtri ad Curiam Romanam, vel regiam ire poterit, vel ad regiumPrætorium,vel ad terram Sarracenorum quacumqué occaſione, vel quæſito colore, ſine ſpeciali mandato, vel licentia Patris Vicarij generalis, aut Capituli prouincialis in ſcriptis. Poterit tamèn Prouincialis illius prouinciæ, in qua curia reſidet, religioſos ſibi ſubditos in conuentum curiæ, ſicut in alios ſuæ prouinciæ, mittere. Caueat tamèn, ne ij pro negotijs in curia peragendis mittantur, niſi priús conſulto Patre Vicario generali, ſi intra quindecim, vel viginti dies commodè fieri poſſit. Quod ſi quis contrarium fecerit, tamquám fugitiuum, præſenti Conſtitutione, in virtute obedientiæ præcipimus, puniendum. Et Commendator, qui præſciuerit, in compedibus eum detineat, & denuntiet Vicario generali, vel Prouinciali, vt pro delictis puniatur.

Statuimus prætereà, & ordinamus, quod in quolibet Ordinis conuentu tres adminùs ſint conſiliarij ex fratribus conuentualibus, quorum vnus ſit Magiſter nouitiorum, alij verò à Commendatore eligantur ex ijs, qui prudentia, & ſcientia callent: nunquam tamèn excludantur â conſultationibus Diffinitores, cum quibus grauiora monaſterij negotia, potiſſimé ea quæ pertinent ad bona ipſius domus, pertractet Commendator, & ſpecialitér res quæ raró circa gubernationem domus euenerint. Item nullus Cõmendator recipiat externorum depoſitum, niſi hac lege, vt ad reſtitu-

titutionem Ordo noſter minimè ſit obligatus, ſi furto, vel incendio, vel quouis alio modo pereat.

CAPVT XVII.

De Diffinitoribus, eorumquè officio.

IN qualibet prouincia quatuor ſint tantùm Diffinitores, qui poſt electionem Prouincialis, à Præſide Capituli, & electo Prouinciali, & Commendatoribus, á triennio in triennium, per ſecreta ſuffragia canonicé eligantur. Hi in electione Commendatorum illius Capituli, in quo ſunt electi, & in electione Prouincialis, & Diffinitorum, qui in ſequenti Capitulo ſunt eligendi, ſuffragium habeant. Necnon, & in electione Vicarij generalis, ſi in ſuo triennio quauis occaſione occurrat, & in alijs, quæ in generali Capitulo, & prouinciali eliguntur, & decernuntur, & quod ab ipſis, ſimùl cum Prælato, ſuperiori fuerit ſtatutum, ſtrićté ab omnibus obſeruetur.

In vtroqué Capitulo generali, & prouinciali, poſt Patres Vicarium generalem, & Prouinciales, pro antiquitate profeſſionum locum habeant. In ſingulis domibus noſtri Ordinis immediaté poſt Commendatorem ſedeant, niſi ibi fuerit qui Vicarij generalis anteà munus obierit, qui etiã ipſos præcedere debet. Si plures Diffinitores eiuſdem prouinciæ in vna domo conuentuales commorari ſimùl contigerit, qui profeſſione fuerit antiquior minus antiquo Diffinitori præcedat.

Mor-

Mortuo Diffinitore, vel in aliam prouinciam adoptato, siué Procuratore Romanæ Curiæ electo, vel ob aliam causam deficiente, Prouincialis cum reliquis Diffinitoribus intra quatuor, vel sex menses, alium indeficientis locum eligant, in qua electione, si in prouincia ad fuerit Pater Vicarius generalis, poterit, si velit, suffragari. Monita fratrum de pertinentibus ad Ordinis obseruantiam, & vtilitatem, diligentér audiant Diffinitores; sed cauère maximoperè debent, ne credant omni spiritui, sæpe sub specie religionis, aut zeli, inuidiæ, vel prauo affectui consulenti. Quam obrem, si loquentes ipsis non sunt noti fratribus á pijs, ac fidedignis inquirant, de conditione, & zelo loquentium, & in quibus eis credere debeant, certi fiant. Vt autém quod melius est assequantur, consilio, & sensui eorum, qui parùm eis loquuntur, frequentiùs adhæreant, eosqué multis, qui multum se solent ingerere ad loquendum, & de omnibus facilè iudicandum, præferant; nequé est securum conscientiam suam ex huiusmodi auditis formare, quousquè sibi plenius de auditis constet. Debent igitur esse cauti, & prudentes in omnibus, quæ audierint, & viderint. Debent etiam acta præcedentis Capituli diligenter respicere, & cum sapientibus, & religiosis viris conferre, & quæcumqué alia, quæ Religioni videantur expedire, vt in his omnibus optimè instructi, si quid addere, vel minuere conueniat, opportuno tempore in Capitulis admoneant. Quilibet autem Diffinitor à Prouinciali, & reliquis Diffinitoribus electus, & Præside

ſide Capituli, habeat literas ſignatas, quibus iure conſtet, eum fuiſſe in Diffinitorem electum. CA-

CAPVT XVIII.

De officio Commendatorum.

COmmendatoris officium eſt, non tám rerum temporalium gubernationi, quàm ſpiritualium ſubditorum ſaluti prouidere. Sed quia ſpiritualia temporalibus fulciuntur, ſicut anima corpori innititur; Commendatores omnibus fratribus ſufficienter prouideant in tēporalibus, & ſpiritualibus, tàm valentibus, quám ægrotantibus, ſecundùm exigentiam loci, & poſſibilitatem domus, maxima cum charitate, & hilaritate, vt ſuprà, Diſtin. 1. cap. 17 dictum fuit: & præcipuè infirmis, & ſenibus, quos debet viſitare ſemèl in die, vel eius Vicarius, ſi ipſe Commendator ſit valdé occupatus. Sit etiam Commendator nimis ſollicitus, ne cuſtodes infirmorum ſint pigri, & tepidi cum infirmis, maximè cuſtos maior, cui magis pertinet habere infirmorum curam, & ſollicitudinem.

In rebus autem, quæ religioſorum neceſſitatibus diſtribuit, ita debet eſſe prouidus, vt non ſpectet religioſorũ petitiones, ſed eas paſtorali cura præueniat, vt hac ratione ſpiritualibus magis intenti ſint religioſi, dùm minùs de temporalibus curant. Maximè tamèn circa res Diuino cultui ſeruientes inuigilet, vt omnia mun-

munda, & diſpoſita ſint. Commendatores in ſuis conuentibus poſt Completorium, & Antiphonam: *Conceptio tua*; cum Oratione propria, addant aliam, quæ incipit: *Protege, Domine, famulos tuos, &c.* quotidie recitandam pro IlluſtriſſimisComitibus del Caſtellar, quorum ſemper Recollectio memoriam venerata eſt, ob eximia beneficia, quæ ab ipſis accepit in primis fundationibus, & alijs eximijs, quibus prædictis dominis obſtricta eſt Rocollectio.

Rurſus, Commendatores publicis inſtrumentis, ſeù titulis ſigilloOrdinis ſignatis,vti poſſunt pro cauſis litigioſis, iuxta iuris exigentiam.

Commendatores autem nulla ratione á ſuis commendis poſſunt intra tempus Capituli,ſiuè intra triennium per aliquem amoueri,niſi diſſipatores bonorum Ordinis reperiantur, vel publicum ſcandalum, vel iuſtiſſima cauſa ſit, de quibus priùs conuincantur. In quo caſu Vicarius generalis, vel Prouincialis, aut Viſitator eos amouere poſſit. Eam tamén priuationem minimè prædicti exequantur, niſi ſimùl de conſilio duorum Diffinitorum, vel (ſi abſint) duorum Commendatorum, vt iam alibi eſt declaratum. Si tamén Pater Prouincialis,aut eius Viſitator alitér in prædicta depoſitione proceſſerit, grauiſſimè in Capitulo prouinciali puniatur. Abſolutionem tamèn prædictam, ſeù priuationem etiam ſi ſine conſilio prædictorum Diffinitorum fecerit, validam eſſe volumus, & tunc Pater Prouincialis ipſe, cum Diffinitoribus, vt dictum eſt, talem poſſit Commendatorem prouidè-

uidére: ſic enim maiora damna excuſantur. Si verò Commendator à ſua commenda amoueatur intra ſex menſes ante diem Capituli, vocem tamen habeat in ipſo Capitulo ad omnes electiones: & ſic eius loco electus, Præſidens conuentus, & non Commendator vocetur. Quod ſi Commendator aliquid commiſſerit, cuius ratione in Conſtitutionibus noſtris pœna ſuſpenſionis ab officio ad tempus imponitur, tunc ſolus Vicarius generalis, vel Prouincialis, aut Viſitator eam ſuſpenſionem exequantur, abſquè conſilio Prælatorum, aut Diffinitorum.

Poſſeſſiones, inſupèr, & redditus, & bona quæcumqué domus vendere, aut alienare, aut aliquomodó commutare, nulli liceat Ordinis noſtri, abſquè ſpeciali in ſcriptis licentia Prouincialis, & ſeruata forma decreti S.D.N.juſſu, à ſacra Congregatione Concilij editi, de rebus Regularium non alienandis: cum duobus Diffinitoribus, aut Diffinitorio in Capitulo. Quod ſi quis contra facere præſumpſerit, alienationes omnes, & ſingulas dicimus, & volumus eſſe nullas, & nullius valoris, nullamquè habere roboris firmitatem: imó Conſtitutione præſenti cenſemus ipſas irritas, & inanes. Diſſipatorem verò huiuſmodi bonorum Ordinis, qui talia perpetrare attentauerit, non tantum ad pœnam grauioris culpæ ſine relaxatione ſuſtinendam condemnamus; imó etiam ab omni cura, adminiſtratione, & cõmenda Ordinis noſtri, ipſo facto, præſenti Conſtitutione priuamus. Nullus quoqué Commendatorum à ſua commenda ſit abſens; nequè

recedat, sub pœna priuationis officij, nisi propter aliquam, eamqué non paruam vtilitatem suæ commendæ, quæ talis sit, vt Commendatoris persona ita sit necessaria, vt per alteram non possit commodé obtineri. Quod si Commendator negotia habuerit propria, quæ eum á suo conuentu abesse compellant, semél in suo trienio per triginta dies solúm abesse poterit. Quod si pluribus indigeat, à Prouinciali licentiam petat: poterit tamén Commendator absqué noua licentia per sex, aut octo dies á sua commenda recedere. Verúm sub eàdem priuationis pœna præcipimus, ne Commendator subditis suis licentiam tribuat, vt vltra quatuor dies á conuentibus suis recedant; & hanc solis concedat Sacerdotibus, sub eàdem pœna, hocquè dumtaxát quolibèt anno.

Commendatores omnes in initio suæ administrationis conuentus, inuentaria explorent, & omnia bona monasterij in præsentia clauigerorum recipiant: & sui officij successoribus, vel Præsidentibus (si fuerint ibi præsentes) de his, & de alijs, & si aucta sint, aut diminuta, rationem reddant: teneanturqué statim debitis omnibus sui conuentus satisfacere, tám pro Missarum stipendijs, quàm pro quibuscùmqué alijs, non alitér, ac si ipsi debita contraxissent. Nequé excepto victu, & vestitu religiosorum, possint, ante debitorum solutionem, pecunias, etiam pro ædificiorum erectione, vestibus sacris, libris, aut alia re, consumere. Item Commendatores, nequé Præsidentes, nec quilibét alius religiosus possint litem aliquam incipere,

cipere, nisi de licentia Prouincialis. Nequè Conseruatoris iudicis officio (nisi ex mandato expresso Summi Pontificis) fungi. Nequé testamentorum executores, nisi de licentia Patris Vicarij generalis, vel Prouincialis, aut (si necessitas vrgeat, & non possit ad Prouincialem recurri) de licentia Commendatoris domus, consultis super hac re consiliarijs; sub pœna priuationis ab officio vocis, & loci per sex menses,

CAPVT XIX.

De officio Vicarij conuentus.

SInguli Commendatores pro suis conuentibus Vicarium eligant virum scilicét, religiosum, & idoneum, prudenti consilio ornatum, qui ipsos adiuuare possit, & de his quæ minora sunt, & Commendatores ab alijs maioris momenti rebus impedire possunt, diligentèr prouidère. Officium Vicarij est, cùm institutus fuerit, quærere diligentèr á Commendatore, & retinère memoritér, quam, & cuiusmodi potestatem vult eum habere, siuè in absentia sua, & non vltrá se extendere. Aliquandó etiam èadem, quæ dicta sunt de officio Commendatoris, inspicere, & notare quid sibi conuenire possit ratione vicariæ, & illa cum illis, quæ Constitutiones sibi concedunt, facere sollicitè. Item ipsius est, conseruare memoritèr mandata, & ordinationes Commendatoris, Visitatoris, Prouincialis, Vicarij generalis, & Capitulorum generalium,

& prouincialium, & dare operam, quod à fratribus plenarié compleantur. Item ipsius est, Commendatorém fidelitèr adiuuare, quærellosorum, & turbantium alios non se receptorem exhibere, & de his, quorum curam ei iniunxit Commendator, vt hospitum, vel infirmorum, & huiusmodi, sollicité seruare, vel curare. Ad ipsum etiam pertinet pacem Commendatoris ergá conuentum, quan tum possit, procurare, & infactis suis, quæ turbant aliquos, quantum conscientia permitit, ipsum ergá alios excusare. Pro his quoqué, quæ vtilia sunt conuentui siuè corporalia, siuè spiritualia, apud ipsum intercedere: & grauamina, si qua facit, eidem ipsi charitatiué ostendere, & quomodocumqué, occurrerit occasio, inter Commendatorem, & conuentum fidelis mediator esse: ideò enim Vicarius est, & super alios, vt eorum mediator sit. Ipsi etiam Commendatori debet maiora (quando emergunt) reseruare, & quæ corrigere non valet, ei denuntiare: & de his quæ agenda sunt, vel corrigenda, cum eo frequentèr tractare. Item notabilia, quæ emerserint in absentia Commendatoris, debet eidem, cum venerit, referre, licét fuerint correcta. Et circa ea quæ fuerint facienda ab ipso, cum fuerint oblitus, vel negligens, aut occupatus alijs, ipsum debet sollicitare. Item ipsius interest specialitér Visitatori, & Prouinciali statum domus, & fratrum, & Commendatoris enarrare fidelitèr, & insupér scribere Commendatori, vel Capitulo prouinciali, vel generali interdùm, cum maior necessitas hoc requirit.

CA-

CAPVT XX.

De Capitulo conuentuali.

POst Completorium, vel disciplinam, omnibus sextis Ferijs, vel Sabbatis semper celebretur Capitulum. Omnibus suo ordine sedentibus, Prælatus dicat: *Benedicite, Patres, Dominus sit vobiscum,* & conuentus respondeat. *Amen.* Et omnes inclinentur profundé. Prælatus commendet, vt in suis orationibus orent pro domino Papa, & statu Ecclesiæ, & Religionis, pro Rege, pro benefactoribus Ordinis viuis, & defunctis, necnon pro salute spirituali, & corporali Christianorum captiuorum, in Sarracenorum potestate detentorum. Et surgant omnes, Prælatus dicat: *Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen sanctum tuum, vitam æternam.* Resp. *Amen* Dicat: *At te leuaui: Gloria Patri* &c. *De profundis clamaui,*&c. *Requiem æternam. Kyrie eleison, Christe eleison Kyrie eleison, Pater noster.* Vers. *Et ne nos* Vers. *Oremus pro domino Papa.* Resp. *Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum eius,* Vers. *Saluos fac seruos tuos, & ancillas tuas.* Resp. *Deus meus* &c. Vers. *Requiescant in pace* Resp. *Amen.* Vers. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus: prætende super famulum tuum Papam nostrum N. & super cunctas congregationes*

illi commissas spiritum gratiæ salutaris: & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorē tuæ benedictionis infunde. Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cœlestis auxilij: vt & te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant, assequantur. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Regi nostro, cum prole regia, & dirige eos secundùm clementiam tuam in viam salutis æternæ: vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant, assequantur: & te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant. Et Vicarium nostrum generalem, & Prouincialem, & Ordinem nostrum, & nos famulos tuos ab omni aduersitate custodi. Et captiuos Christianos, qui in Sarracenorum potestate detinentur, tua misericordia liberare digneris. Fidelium, Deus, omnium Conditor, & Redemptor animabus famulorum, famularum que tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis, & regnas, &c. Postea Prælatus proponat quæ ad honestatem, & correctionem fratrum in communi, vel in speciali viderit expedire. Post hæc egrediantur nouitij, & dicat Prælatus quod vnusquisquè suas culpas fateatur. Et suo ordine quilibet frater flectat genua, & dicat. *Pater, veniam peto;* & facto signo à Prælato, surgat, & stando, humilitér confiteatur culpas suas, accusando se de defectibus manifestis contra Regulam, & Constitutiones, dicens *Accusome, Pater, quod in omnibus non obseruo Regulam Beati Augustini, nec Constitutiones Ordinis; non custodiendo silentium; non recitando attentè horas, & Diuinum of-*

officium; tardè surgendo; malè legendo; & in essentialibus non obediendo corde, & opere; nec paupertatem spiritus amando; nec honestè, at religiosè viuendo: ideò dico meam culpam, & peto veniam, & misericordiam. Si verò culpa alicuius talis sit, vt digna sit correctione; præparet se ad illam suscipiendam, & Prælatus eam exequatur. Nunquàm fratres in Capitulo, vel alibi suas culpas, vel alterius deffendant, nisi de licentia Prælati, nec in Capitulo loquantur, nisi suas culpas dicendo, vel Superiori ad interrogata respondendo: & vno stante, & loquente, alius non loquatur. Nullus aliquem proclamet ex sola suspitione, nec accuset de auditu, nisi dicat á quo audierit, & ille præsens sit domi. Finitis verò culpis, prosternant se omnes, & dicant: *Confiteor Deo, &c.* Deinde Prælatus stans, dicat: *Misereatur vestri*, &c. *Absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus. Amen.* Deindè surgant omnes, & Prælatus dicat. Vers. *Adiutorium nostrum, &c.* Resp. *Qui fecit, &c.* Et sic soluitur Capitulum, junioribus egredientibus prius.

CAPVT XXI.

De Visitatore.

STatuimus, & ordinamus, vt Prouincialis in suo triennio bis, vt dictum est, visitet omnes domos suæ prouinciæ, quas commodè, & sine notabili periculo-

riculo poterit visitare: ad alias verò mittat Visitatorem, virum ætate, religione,& moribus approbatum, cui authoritatem suam in scriptis committat, vt sibi visum fuerit. Quando de nouo Vicarius generalis, aut Prouincialis venit ad monasterium; cùm appropinquat domo, sine sono campanæ, nec alio strepitu exteriori, ac sine Cruce; sono tamén cymbali refectorij, conuocandi sunt fratres antè fores Ecclesiæ, in interiori parte in duos choros diuisi. Veniente autem Patre Vicario generali, seú Prouinciali, vadant ad sacellum maius, & anté Sanctissimum Sacramentum omnes se prosternant, & Pater Vicarius generalis, vel Prouincialis, genibus flexis, stans apud ipsum antiquior, det benedictionem itinerantium vt sequitur.

Psalmus. *At te leuaui*, &c. *Gloria Patri*, &c. *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos*, &c.Vers.*Saluum fac.* Vers. *Dominus vobiscum. Oremus. Miserere, quæsumus Domine, his famulis tuis: & quidquid in via eis surripuit visus, vel auditus malæ rei, aut otiosi sermonis, totum ineffabili pietate deleas, & abstergas. Per Christum.* &c. *Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: vt inter omnes viæ, & vitæ huius varietates, tuo semper protegantur auxilio. Per Christū*, &c. Itinerantes verò domum intrantes quamcumqué, debent dicere, iuxta doctrinam Saluatoris: Pax huic domui. Posteá autèm Vicarius generalis, vel Prouincialis dicat. *De profundis*, *Requiem æternam. Kyrie*, *Chris-*

Christe, *Kyrie*. *Pater noster*. *Et ne nos*. *A porta inferi*. *Dominus vobiscum*. *Deus, veniæ largitor, & humanæ salutis amator*, &c. *Per Christum*, &c. *Requiescant in pace*. Resp. *Amen*. Statim omnes ei præstent obedientiam, & ingrediantur monasterium. Nullus frater, nec Prælatus, nec subditus, exeat extra ciuitatem, aut opidum ad comitandum Patrem Vicarium generalem, aut Prouincialem, nec ipse Prouincialis Vicarium generalem, vt sic euitentur quam plura incommoda, quæ ex hoc oriri solent.

Visitator verò, quandiù visitationis officium exercet, locum, & vices Prouincialis habeat, vt omnia agnoscat, & visitet, excessusquè, & defectus Commendatoris, & fratrum corrigat, & emendet, quocumquè tempore perpetrata sint, si non fuerint emendata, & punita. Officium tamen visitationis quatuor, vel sex diebus continuis in qualibèt domo terminetur. Si verò negotia, aut scandala maxima sint, per duos dies visitatio dilatetur, ita vt octauo die finiatur. Si tamen Commendator tempore visitationis absens fuerit á sua domo, visitatio fiat: & si quæ agnouerit de Commendatore emendatione digna, totum in scriptis recipiat, & Prouinciali mittat, vt domus necessitati prouideat. Et si pro aliquo testimonio necesse fuerit aliquem absentem fratrem vocare, vel citare, Visitator potest vocare, & excommunicare, donèc compareat. Visitator congreget omnes in Capitulo, in quo præsideat, & dicat: *Benedicite, fratres, Dominus sit vobiscum*. Resp. *Amen*. Primó ostendat

Commendatori, & conuentui literas visitandi, manu Prouincialis, & sigillo maiori sui officij munitas, vt potestas visitandi constet. Et in Capitulo recommendationem viuorum, & mortuorum faciat, vt habetur in principio Capituli quotidiani. Et Christianam, piam, & religiosam exortationem faciat, secundùm qualitatem,& circunstantiam domus, & fratrum. Et moneat primó, secundò; & tertió in virtute Spiritus Sancti, & sub obedientiæ præcepto, & excommunicationis sententia, si quid factum sit in damnum Religionis, seù fratrum: si quæ rixæ; si qui defectus non emendati, & emendatione digni, sibi in scrutinio reuelent,aut declarent. Admóneatquè,an sint indicia, & quod sibi,tamquã iudici,testes tenentur,sub pœna peccati mortalis,verũ respondère.Si veró sit ita secretum, vt nulla indicia, vel suspitio sit; non tenentur reuelare Visitatori, sed proximus secretó prius monendus est. Quod si frater,qui secretum scit,iam admonuit,nequè emendatur frater, & damnum, aut maximum scandalum timetur in monasterio, tunc tenetur reuelare Visitatori. Hæc, & similia conuentui exponantur, ne ignari, maiori peccato illaqueentur, & ne vitia maneant impunita, & vitium serpat, & menbra magis putrescant. Sic absoluat primum Capitulum. Postea, vel celebrando Missam, vel alio tempore; decenter, cum cereis accensis, & thuribulo, visitet Eucharistiæ Sacramentum (vt in Cæremoniali dicitur) videatquè an insit in decenti loco, & quo tempore renouari soleat; & videat reliquias, & Oleum infirmorum.Deinde

de ſacra indumenta, an apta, & munda ſint, & quæ reparanda, & quæ addenda ſunt præcipiat, &omnes officinas in ſpecie requirat, earumqué ſuppellectilem conſideret, inſpiciatqué an ſint omnia neceſſaria ad vſum fratrũ, vel alia noſtro ſtatui indecora, aut ſuperflua, necnon omnia, quæ religioſi in cellis, vel ſecum ad vſum habent, exploret: & aliquid à noſtra profeſſione fuerit alienum, omninó abdicetur, & reijciatur. Si verò quid ex neceſſarijs defuerit, diligentér faciat prouideri: & tempore viſitationis Prouincialis, ſeù Viſitator coram communitate, omnium religioſorum habitus, tunicas, pallia, & alia generis indumenta vigilanter inſpiciat: curetquè, vt in omnibus vniformitas, & id quod noſtra diſponit Conſtitutio, integré ſeruetur: & qui in hoc excesſerit, ab eo puniatur, & illicò ad menſuram Conſtitutionis omnia reducantur. Eandemqué curam Commendator conuentus ſemper habebit.

Poſteà in ſecreto loco ſolus, á ſingulis fratribus accipiat iuramentum, quod vera dicent, abſqué odio, ſeù amore alicuius: & interroget primó, de ad impletione præceptorum legis Dei, Eccleſiæ, votorumqué eſſentialium: de obeſeruantia Regulæ, & noſtrarum Conſtitutionum. Deinde de ſtatu domus, de fama, de vita, & honeſtate Prælati, & fratrum: de regimine, & prudentia Commendatoris, an ſemper præſideat in choro, & refectorio, & ſit æquális omnibus in cibo, potu, ac veſtitu. Et ſpecialitér an omnibus fratribus tribuat neceſſaria, hilari animo, in ſanitate, &

& infirmitatibus; an prouideat de cibo, & potu, ac vestitu quando necessarium est. An curam habeat maximam ad Diuinum officium, & pulsationem cymbali suo tempore: de oratione mentali, de silentio, de vita communi,& æquali: de clausura, & an forté aliquis abusus in vestitu, vel in alijs obseruantijs irrepserit: & de ordine, & numero Missarum, an soluantur Missæ,quas tenentur celebrare: de cultura possessionum, de redditibus, & debitis domus. An adhibeat curam, vt fratres omnes in lectionibus, & meditationibus,ac in exercitationibus religiosis occupentur. An inter fratres sint rixæ, inimicitiæ aut odia. An commissum fuerit aliquod peccatum, nequé sit punitum á Prælato, secundùm qualitatem domus, & circumstantias fratrum. Quæ omnia, vt recté, & exactè Visitator exequatur, oportet, vt Regulam, & Constitutiones, ac ordinationes alias optimé noscat, & de præcipuis statutis memoriale aliquod summatim instituat, iuxta quod possit singulos examinare. Præteréa studeat ea omnia, quæ ad correctionem fratrum spectent, in promptu habere. Visitator prudens interrogabit:& testes dicant, quomodò sciant, & an viderint, vel à quo audierint, & vbi, vt ex testibus veritas agnoscatur.Et omnes testes subscribant, his quæ dixerint: & Visitator, vt index oculatissimus, & integerrimus,iudicet ex testibus. Si quid conuincatur,& publicum sit,secundumConstitutiones nostras (circumstantiam personæ,& delicti animaduertendo) publicè puniat,siue ad Prælatum,vel ad subditos spectet; vt qui alios

alios exemplo ſuo ad malum prouocauit, ſua emendatione ad bonũ reducat. Et quamuis cum miſericordia iudicium exerceatur: hortamur tamen in Domino, ne impunita delicta remaneant, ne ſpes impunitatis maiorum ſit delictorum ocaſio. Si tamen in Commendatore ſit aliquis non grauis defectus, non omnibus, nec maiori parti cognitus, non publicetur, ſed ſecreté in præſentia aliquorum, qui circa ipſum propenſiùs affecti ſunt, illum corrigat, ſecretum ſecretó emendans. Et poſteà omnes conueniant in Capitulum, vbi quæ publicè facta fuerint, corripiat coram omnibus: & commendet obedientiam, humilitatem, pacem, & mutuam charitatem, & obſeruantiam Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum, reiſquè pœnitentiam ſalutarem iniungat, & quæ ſeruanda deincéps ſint, ſcripto relinquat. Hæc autem, quæ dicta ſunt de Viſitatore, etiàm de Patre Vicario generali, & Prouinciali intelligi debent. Poſteà omnes ſe proſternant, & dicant: *Confiteor Deo.* Viſitator verò ſtans, dicat. *Miſereatur veſtri,&c. Ego, authoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Sipiritus ſancti, & authoritate mihi commiſſa, abſoluo vos ab omni vinculo irregularitatis, ſuſpenſionis, & excõmunicationis latæ a jure, vel ab homine (ſi indigetis) & ab omnibus tranſgreſſionibus, exceſſibus, omiſſionibus Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum quantum ego poſſum: & quod non poſſum, ſuppleat, & perficiat omnipotens Sacerdos, & Summus Pontifex Dominus Ieſus Chriſtus, & iniugo vobis in pœnitentiam omnium peccatorum veſtrorum, quidquid boni feceritis, & ſpe-*

cia-

cialitèr iugum obedientiæ, ac regularis obseruantiæ disciplinam. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Si fieri poteſt, Viſitator proprijs oculis videat, & viſitet poſſeſſiones, & omnia bona monaſterij, vt agnoſcat curam Prælati de huiuſmodi bonis. In mutationibus fratrum, ſi multos expediat mutare, non omnes ſimul eijciat, ſed quando alij venerint, alij mutentur, maxima prudentia, ne ſcandalum ſit in populo, vel domus ſola relinquatur. Nequè aliqua domus multitudine fratrum oneretur, ſed ſecundùm neceſſitatem, & poſſibilitatem domus. Omnia facta in viſitatione ſcripto mandentur, vt fidem faciant Prouinciali, & Diffinitorio: quæ verò ſeruanda præcipiuntur, in Capitulo legantur, & in libro conuentus ſcribantur. Quilibèt, ſiué ſit Vicarius generalis, ſiuè Prouincialis in prima conuentus viſitatione diligentèr inquirat, inſpiciatquè omnia acta, mandata, præcepta, aut cenſuras ſui anteceſſoris, & de eorum obſeruantia, integraqué adimpletione informetur; vt quid circa ea confirmare, aut reuocare expediat, exactius valeat iudicare. De expenſis veró neceſſarijs ad iter, tám Viſitatoribus, quám ſibi, Pater Vicarius generalis, & Prouincialis ex Miſſarum eleemoſynis prouidere debent.

CAPVT XXII.

De ordine ſedendi.

CVm in domo Dei non deceat aliquid eſſe inordinatum, ſtatuimus, quod Commmendator in ſuo

ſuo conuentu præcedat omnes ſibi ſubditos: & poſt eum, qui Vicarij generalis munus anteà obtinuit, deinde Diffinitores, vt cap. 17. diximus. Poſteà Commendatores hoſpites, ſi qui fuerint, quos ſubſequatur Vicarius eiuſdem conuentus. Deindè omnes alij fratres conuentuales, qui, quó profeſſione fuerint antiquiores, eò Commendatori debent propinquiores eſſe: modò tamen ordinati præcedant non ordinatos, & clerici obedientiæ fratres. Vicarius veró generalis primum, & præcipuum locum obtineat, in toto Diſcalciatorum Ordine, & ſingulis domibus. Prouincialis autem, vel eius Vicarius, tempore ſui officij, Commendatores, etiam in ſuis conuentibus, præcedant: & Viſitator in domibus viſitandis, tempore viſitationis, omnibus etiam præcedát. Sed Prouincialis extra ſuam prouinciam, poſt Commendatorem illius domus, ad quam declinauerit, ſedebeit; poſtulabitqué licentiam ad exeundum, & reliqua præſtabit, prout exteri conuentuales, cùm ſit extra fines ſuæ prouinciæ. Finitis verò ſuis officijs, nullus alius Prælatus aliqua loci præeminentia gaudeat ratione officij præteriti.

Ordo prouinciarum hic eſt. Ex prouincijs ſancti Ioſeph, & Conceptionis, illa vbi generale Capitulum contigerit celebrari, primum locum habeat: vt ſi celebretur in prouincia ſancti Ioſeph, primum locum habebit ipſa prouincia ſancti Ioſeph, ſecundùm veró prouincia Conceptionis, & tertium prouincia Sancti Patri noſtri Raymundi Nonnati. Si autem celébretur in prouincia Conceptionis, ipſa prouincia Conceptionis.

nis primum locum tenebit, secundum prouincia sancti Ioseph, & tertium prouincia sancti Raymundi. Si autem in prouincia sancti Raymundi celebretur Capitulum, vel in alia pro tempore erigenda, prouincia Concepionis, & sancti Ioseph alternatiuè præcedant, primò illa, quæ non præfuit in antecendenti Capitulo, & deindè in alio altera. In Capitulo autem generali, vel prouinciali, post Vicarium generalem, & Prouinciales, Diffinitores Capituli præcedant reliquos omnes.

CAPVT XXIII.

De Collegijs, & de studentibus in eis.

CVm ignorantia sit errorum mater, & cuiuslibet status ruina, maximé in ijs, qui sacris confessionibus, & concionibus populum edocére debent; Ordini nostro super hoc prouidere cupientes: statuimus, vt vnaquaqué prouincia sint duo Collegia, siuè studiorum domus, in altera Artium, & Philosophiæ, in altera verò sacræ Theologiæ studium: quæ domus, siué Collegia arbitrio Capituli prouincialis deputentur.

In Collegijs oratio matutina, omni tempore habeatur hora quinta, qua finita, statim quatuor minores horæ recitentur. Missa verò nunquam cantetur, nisi Dominicis tantùm, aut festiuis diebus. Prandium tempore lectionum hora vndecima fiat, alio verò tem-

tempore ſicut in alijs conuentibus. Veſperæ ſemper hora ſecunda recitentur, & in ſolemnioribus diebus cum cantu fiant, pro arbitrio Prælati, idemqué de alijs horis ſolemnium feſtorum dictum ſit. Poſt Veſperas ſemper Completorium dicatur. Oratio mentalis veſpertina hora quinta habeatur; qua finita, Matutinæ recitentur, & poſt Matutinas, per duas horas ſtudijs vaccent. Rector verò, & Lectores diligentiſſimé aduertant, ne conceſſum ſcholaſticis ſtudenti tempus, rebus inutilibus, ac otio abſumant. Curentqué vt conferentias, ſiuè ſtudij exercitia, ac concluſſiones habeant, eodem modo, & tempore, quibus infrá in collegijs artium fieri ordinabimus.

Studiorum exercitia, & lectiones in noſtris collegijs incipiant á die ſancti Hieronymi, & finiantur in Vigilia Pentecoſtes. In alijs veró collegijs, in quibus, ſcholaſtici, pro audiendis lectionibus, Achademias repetunt; eodem tempore, quo in ſcholis, ſtudia incipiant, & in eis lectionem primariam audiant, & non alteram. Finiantur verò ſtudia in Vigilia Pentecoſtes, vt ſuprà dictum eſt.

Lectores artium ij deputentur, qui & literis, & virtutibus diſcipulos valeant edocère, concedaturquè eis dimidium anni tempus, vt poſſint ſe conueninter ad onus ſuſceptum præparare. Qui, poſtquam curſum incæperint, quotidié duas lectiones, vnam mané, alteram veſperé legant. Poſteà ſcholaſtici, præſidente eodem Lectore, lectiones altera hora, exercitij gratia, repetant: dubitationes de eis, quotidiè ſuo ordi-

ne proponat, quæ conferentiæ nuncupantur. Hoc autem secundùm morem collegiorum, & proùt studiorum Regenti opportuniús videatur, obseruetur. Semper autem, quotiès plures fuerint Lectores, conferentiæ alternis diebus, de materijs singulorum, habeantur, vt omnia, quæ scholasticis perleguntur, eorum exercitio, & mutua, ac æmula concertatione percipiant. Insupér, octauo quoquè die conclussiones, more solito, defendantur. Studeantquè Artium Lectores, communes opiniones, & Theologiæ sacræ vtiliores defendere, ne inutilibus, & posteá delendis, reijciendisquè opinionibus operam perdant.

De triennio in triennium Artium cursus incipiatur in qualibet prouincia: & Prouincialis Lectorem, & scholasticos designabit, inspectis eorum vita, moribus, saluteque,& ingenio:nullatenùsquè admittatur is, cui aliquid ex supradictis defuerit. Vt verò innotescat, quis ingenio, literarumquè sufficientia alijs præmineat, ac præ cæteris, vt magis idoneus, eligatur; Pater Prouincialis, adhibitis secum alijs doctioribus religiosis, qui vt examinatores, & coniudices simùl assistant, accersitisqué (vt de more solet in Vniuersitatibus) ad examen prouectioribus scholasticis, sortiatur cuilibet proprio die, super librum Aristotelis, aut alicuius commentatoris (in quo Logica simùl sit, & Philosophia) tribus vicibus, tribusqué distinctis locis eiusdem libri cultellum immittens, & ex paginis illi forté apertis, eligat quisquè quæstionem, quam maluerit, ad eamquè intra viginti quatuor horarum spa-

ſpatium explanandam, ac deffendendam ſe præparet, lectioniſqué expoſitio vnica hora integra menſuretur. Poſteà cæteri condiſcipuli (omni ſpiritu contentionis, aut ambitionis depoſito) eum ſuis argumentis probent, & ſuis replicis examinatores. Potiùſqué ex argumentis, & reſponſionibus, quam ex lectionibus cuiuſquè ſufficientia inferatur: lectionis enim narratio, potiùs memoriam, quam intellectum deſignat. Nulluſquè ſub humilitatis prætextu ſcientiam ſuam celet. In collegijs Theologiæ ſint duo Lectores, qui, modo prædicto, eligantur à Prouinciali; & ad hoc munus perſonæ virtutibus, & literis idoneæ omninò aſſumantur, qui operam dabunt ſacram doctrinam á ſanctis Patribus, præcipué á Diuo Thoma, traditam, edocère. Idemqué Lectores Artium obſeruent, ſin minús ab officio Lectorum priuentur. Studeantqué; ſubtiliores quæſtiones, quæ nequè vtilitatem, nequé ædificationem afferunt, aliaſqué periculoſas nouitates à noſtra Religione arcére; ac præcipuè, opinionibus inutilibus omiſſis, ſuccinté, & breuitér veritatem declarare nitantur, vt ſic maior ſit diſcipulorum profectus.

Concluſiones, aut actus publici, cum interuentu ſæcularium tàm in collegijs, quám in Capitulis nunquàm deffendantur, nequé noſtri ſcholaſtici, Lectores, aut religioſi in ſimilibus actibus arguant, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ. Tribus autem annis Theologiam ſtudeant: in quorum vltimo coram cæteris fratribus in refectorio, vel communi loco

in munere prædicationis exerceantur. Transcribendi per se concionum codices, licentia nunquám studentibus concedatur. Tantúm cum Rectore vel Lectoribus à collegijs exeant, nisi pro literarum exercitijs vel pro concione aliqua audienda; aut nisi, otij gratia, aliquando in agrum mittantur. Prouincialis, pro opportunitate collegij, præter Theologiæ scholasticæ lectiones, aliam sacrorũ Bibliorum illis addere poterit. Grammatica veró nunquám in collegijs, nequè in alijs conuentibus pro sæcularibus doceatur.

Omnes scholastici, tám Artium, quám Theologiæ singulis annis diligentér á Prouinciali, Rectore, & á Lectore collegij examinentur, & qui idonei non fuerint reperti, vel illi, de quibus, ob defectum virtutis, obseruantiæ, bonæ valetudinis, literarum, aut ob quamcumquè aliam causam desperatur debitus in Ordine profectus, á collegijs remoueantur. Hoc tamen fiat per secreta examinatorum suffragia, & semél exclusus, nunquam deincéps in vllo Ordinis collegio ad studia admittatur, nisi priùs constet cessare causas, quibus moti Prælati, aut examinatores, ei studium denegarunt. Nemoqué, nisi post integrum annum á sua professione transactum, ad studia mittatur.

Lectores vtriusquè facultatis, Artium scilèt, & Theologiæ, communitér orationem mentalem, tám matutinam, quàm vespertinam, examen conscientiæ, refectorium, & disciplinam communem sequantur, diebusqué festiuis, in quibus non fuerint conclusiones, teneantur interesse Vesperis, & Missæ maiori: á reliquis

liquis verò communitatis oneribus præciſé, ratione ſuæ occupationis, excuſentur.

In collegijs Rectores docti,& in literis verſati præficiantur, & qui literarum ſtudium, cum pietatis ardore, & regularis diſciplinæ zelo coniungant, vt in omnibus doctrinam, paritèr, & exemplum poſſint præbere. Curandum tamen maximé illis eſt, né ſcholaſtici orationis aſſiduitatem,& animi modeſtiam, ſtudiorum occaſione, prætermittant: ſed ita vnum alteri annectatur, vt emolumento ſibi inuicém eſſe poſſint. Studeantqué diligentèr,vt noſtræ Conſtitutiones, maximè quæ ad vitam communem ſpectant, ijs dumtaxát mutatis,quæ in hoc capite pro collegijs peculiaritèr annotauimus, obſeruentur.

Præter Rectorem, & Vicerectorem collegij, ſint alij conuentuales, tám pro communibusCollegij miniſteris,quam pro confeſſionum,aût prædicationismunere exequendo, vt ſcholaſtici, quamtum fieri poſſit, ſtudio literarum tantummodó vacare valeant.

Tempore vacationum ab ſtudijs, omnes vtriuſqué facultatis ſcholaſtici, ſimùl in ſuis collegijs, aliquibus ſtudiorum exercitijs occupati permaneant, & vbi hoc commodé fieri poteſt, nullatenùs in alios prouinciæ conuentus mittantur.

Diſtrictè prohibemus, ne aliquis religioſus aliquam cathedram ambiat, cuiuſcumquè facultatis ſit, aut eam regát, vel pro alijs ſubſtituat, nec ſuffragiumin illa ferat, nequè ad illam quoquomodò adjuuet, nequè in hoc ſe immiſceat,nequé ſuper hoc alicui eorum

rum, qui suffragaturi sunt, consilium præbeat Nequé possit aliquo gradu Prælentati, Magistri, aut alio quocumqué titulo maiori, vel minori laureari. Nequè vlla ratione possit, studiorum causa, aut horum graduum (si fortè aliquem antè suscep. tionem habitus fuisset adeptus) aliqua exemptione, libertate, aut priuilegio gaudere: sed omnes communem, & regularem vitam paritèr sequantur, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, deficientibus in aliquo prædictorum.

Prætereá mandamus, & rigorosé præcipimus, ne religiosi sæcularium fauoribus studia, ordines, conuentualitates, officia, aut quidquám aliud ambiant, sub pœna inhabilitatis, & priuationis eorum, quæ sæcularium fauore consequi desiderant: quam Constitutionem volumus à Prælatis summa cura obseruari. Fratribus Obedientiæ studium, aut corona nunquam ab aliquo Prælato concedatur, nequé etiam Pater Vicarius generalis, vel Diffinitorium possit super hoc dispensare.

CAPVT XXIIII.

De Bibliotheca, literarumquè exercitio in alijs conuentibus.

QVia maximè oportet, vt in alijs Ordinis conuentibus aliqua literarum exercitia, ad maiorem profectum eorum, qui confessionibus intendunt, non prætermittantur; exhortamur, vt vbi commodè fieri

fieri poterit, à die ſancti Michaëlis, menſis Septembris, vſquè ad Pentecoſtes, in quolibet conuentu, tribus in hebdomada vicibus, hora à Commendatore deſignata, ſit aliqua lectio moralis Theologiæ, vel conferentia caſuum conſcientiæ, in qua Prælatus, vel alius eius loco præſideat; duretqué per dimidiam horam, & in ea aliqua materia ſucceſſiué hoc ordine tractetur. Primùm ab vna die in alteram, id quod tranctandum erit, proponatur: deindé authores de ea agentes diſtribuantur inter omnes, & vnuſquiſquè operam dabit, in re poſita accurate ſui authoris examinare ſententiam, eamqué alijs fidelitér referre. Et deniquè Præſes, collatis omnibus ſententijs, earumquè rationibus, eligat, decernatqué veriorem. Si verò lectio moralis habeatur, dictum exercitium omittatur, deſigneturquè à Cõmendatore, de conſenſu Prouincialis, ad hoc munus Lector idoneus. Cui lectioni, aut exercitio omnes Sacerdotes, & ſacris ordinibus initiati intereſſe debent, niſi aliquis rationabili cauſá à Prouinciali licentiam, vt abſit, obtineat.

In omnibus noſtri Ordinis domibus ſit Bibliotheca communis, in qua libri omnes reponantur, & deputetur á Cõmendatore librarius, qui eam diligentér ad miniſtret, & libros ſecundum eorum diuerſas facultates, diſponat, obſeratamqué cuſtodiat: ſaciatquè inuentarium de omnibus libris, quod ſemper in Bibliotheca ſeruetur,

Studeant Prælati, vt in librorum officina omnes libri neceſſarij, tàm ad relgioſorum profectum, quám

adı

ad proximorum salutem habeantur, potissimum veró deuoti, & spirituales libri,& tàm isti, quam cæteri non solúm conseruentur, sed indies augeantur, & emantur omnes libri vtiles, & docti, qui denuò in lucem prodierint: inutiles verò commutentur, aut vendantur, quorum pretium in alios vtiliores libros conuertatur. Quare statuimus, ne Prælatus, etiam de sui Capituli, & Prouincialis consensu, possit librum aliquem donare, vel alienare, sub pœna suspensionis ab officio per vnum annum: liceat tamen eis, eos accomodare religiosis, aut alijs grauibus personis, & tunc libri, & ij quibus accomodati sunt, scribantur.

Omnibus religiosis de hac communi Bibliotheca sufficientér prouideatur,liberũquè si vnicuiqué(sciente id librario, & ipso in tabella aliqua communi eos inscribente) libros ab ea extrahere. Quod si quis studij causa,Bibliothecam intrare velit, silentiũ omninò seruet, nequé cum altero ibi loquatur.

Et vt omnia striċtiús seruentur, & libri indies augeantur, præcipimus in virtute Spiritus sancti, & sub præcepto sanctæ Obedientiæ, nè quis det, accommodet,à conuentu extrahat,nequè in alium transferat, vel quoquomodò librum aliquem, siuè codicem manuscriptum ex ijs,qui conuentui,aut eius communi librariæ deputati sunt, alienet; nisi seruatis supradictis conditionibus.

Nullus Prælatorum, nequé etiam Pater Vicarius generalis,aut Prouincialis poterit alicui religioso concedere

cedere libros ad peculiarem vsum habere, aut secum ferre. Poterit tamen, etiam Prouincialis facultatem fratribus præbere, vt vtantur, & secum ferant vnum aut duos tantùm paruos libros deuotos, & spirituales; & insupér paruam Bibliam poterit concedere eis, quibus sibi congruum videbitur. Possuntquè religiosi codices manuscriptos etiam secum ferre, cum de vno conuentu in alium mittuntur. Insupèr præcipimus, quod religiosi, qui studijs literarum sunt mancipati, habere possint sub mensis, quibus vulgaritèr vtuntur, capsellam aliquam ferrea claue (dum tamen secretò ea asseruetur) reseratã, pro manuscriptis tantũ codicibus custodiendis, quàm frequentèr Prælatus visitare teneatur, sub pœna priuationis ab officio minimè relaxanda. Et ad hoc habeat communem clauem, vulgo magistram, & si ibi aliquid indecens, seù relgioni non consonum adinuenerit, pro prima vice religiosum acritèr corrigat; pro secunda clauem auferat, quam nullus alius possit ei concedere, nisi Prouincialis; dummodò certis indicijs sit de emendatione securus. Si verò tertiò deliquerit, iterum illi clauis auferatur, nec vnquám, simili indulto abutenti, restituatur. Religiosorum decedentium è vita manuscripti codices, ordinamus, vt in communi Bibliotheca illius conuentus, vbi decesserint, collocentur; nequè eos possit sibi, nequè alteri Prælatus aut alius applicare.

Nemini liceat exceptorios codices, sine licentia Prælati, transcribere, aut transcriptos, emere: neque Prælati, aut nouitiorum Magistri; nec quicumque

alius religiosos, etiam nouitios, in his transcribendis occupent, ne ab spiritualibus diuertantur.

CAPVT XXV.

De possessionibus habendis, & de domibus acceptandis de nouo.

POssessiones, redditus, & quæuis alia bona mobilia, seù immoblia in communi liceat Ordini nostro tenere, & possidere, & Cõmendatoribus Ordinis nostri (de consilio tamen fratrum conuentualium suorum) liceat ea acceptare, vt in communi teneantur, & possideantur. Nulla tamen domus, in qua fratres nostri debeant commorari, per aliquem fratrem nostri Ordinis acceptetur, vel acceptata, transferatur, nisi per Patrem Vicarium generalem, vel Prouincialem priús eidem fuerit concessum: & tunc possessiones, redditus, & ea, quæ ad communem conuentus vtilitatem spectant, Commendatoribus Ordinis nostri, de consilio suorum conuentualium, vt dictum est, liceat acceptare, possidére, & tenere. In qualibet autẽ domo nouitèr constructa, vel Ordini collata (nisi fuerit domus rusticana, vel prædium) semper aliquis frater fiat Commendator, qui sit prudens, & fidelis, & diligentér ea, quæ pertinent ad bene regendam, & custodiendam domum, & fratres, prudentissimè exequatur. Habebit tamẽ secũ alios, vel plures fratres, secundũ loci exigentiam, in socios, & conuentuales, qui eum adjuuent,

juuent, & in omnibus humilitér obediant;vt Diuinum officium deuotè celebrent, & eleemoſynas pro captiuorum redemptione, intra terminos illi conuentui à Vicario generali, vel Prouinciali deſtinatos, fidelitèr requirant. Pater verò Vicarius generalis, vel Prouincialis in ſua prouincia decernat huiuſmodi domibus quos terræ fructus religioſi petere debeant ad ſuſtentationem domus, & fratrum, & etiam terminos cum domibus conuicinis aſſignet, vltrá quos egredi non poſſint. Mediocres domos, & humiles habeant fratres noſtri, & in eis non fiant ſumptuoſa ædificia.

Ordinamus prætereá, vt fundationes domorum deincèps non admittantur, niſi in partibus, vbi noſtra profeſſione, clauſuraquè decentér obſeruata, congruam fratres noſtri ſuſtentationem habeant: niſi in ciuitatibus, vel oppidis magnis; in illis ſpecialitèr, in quibus aliorum Ordinum conuentus non ſunt erecti, & vbi ſine magno labore religioſorum, cum eleemoſynis Miſſarum,& fidelium elargitionibus commodé, & religioſè, octo, vel decem fratres, & in Italia, ac Inſulis adjacentibus duodecim ſaltem religioſi degere, & ex redditibus, ac conſuetis eleemoſynis (detractis detrahendis) competentèr ſuſtentari valeant: ad præſcriptum decretorum Apoſtolicorum, hac de re editorum. Non enim oportet ibi eſſe religioſos, vbi religioſè viuere non poſſumus. Nec deincéps fratres in monaſterijs nouiter receptis commorentur, donéc competenti clauſura octo religioſi ad minùs viuere poſſint, & Eccleſiæ locus ſit decentér accommodatus.

In huiusmodi autem fundationibus, vbi hoc non inuenitur, tribus fratribus pro erectione ædificij liceat assistere. Et idem intelligi volumus de fundationibus Monialium, antè earum ingressum, quòd talitèr disposita sit earum domus, vt commodè, religiosè, & cum omni clausura multis annis in ea possint commorari.

Monasteria verò non procùl ab oppidis ædificentur, vt sic nostræ quieti, & proximorum saluti studeamus. Et cum sumptuosæ domus, seù earum curiosus, & superfluus ornatus, homines instituto humiles, & professione pauperes, minimè deceant: statuimus, ne monasteria nostra, neque templa magnifica sint. Quæ, vt in omnibus prouincijs ad eandem formam vniformitèr construantur, strictè mandamus, vt Ecclesiarum latitudo ad minùs viginti septem, & ad summum triginta pedes habeat (sumpta pedum mensura, pro tertia parte vlnæ, qua communitèr in Castellæ regnis vtimur) iuxta quam in longitudine, & altitudine seruetur artis proportio. In claustris verò ab vno pariete in alium, non minùs quam quinquaginta quinquè, nec plùs quam sexaginta pedum longitudo sit; latitudo verò ambitus nouem, aut decem pedibus mensuretur. Nec permittantur desupèr alia claustra (Hispanè *claustros altos*) quæ aperta sint, tantumquè deambulatoria, & otiosa; poterunt tamen esse, si parietibus referentur, ita vt in eis officinæ, & cellæ ad habitandum necessariæ, fieri possint. Cellæ non sint maiores duodecim pedibus per quadrum; nec minores decem, ne-

qué altiores duodecim , aut tredecim. Dormitorij transitus in latitudine habeant quinque, vel sex pedes: inferiores veró domus officinæ altitudine protendantur vsquè ad duodecimum, vel decimumtertium pedem , ita vt conuentus parietes à pauimento claustri, vsquè ad tectum, viginti nouem pedibus non sint altiores, nisi alias altiùs ratione altitudinis situs, erigi oporteat, ne eminentioribus sæcularium ædibus pateant. Hac igitur proportione seruata, interiora domus , indicio artificum, disponantur. Deincéps veró conuentus non ædificentur, aut opus aliquod notabile illorum incipiatur, nisi præcedentibus artificum nostri Ordinis delineamentis (Hispané, *planta*, ò *traça*) in quibus illorum forma præscribatur: quám obseruare omninò præcipimus, nequé de ea quidquám mutetur, addatur, vel minuatur, sine expressa licentia Patris Vicarij generalis, aut de ipsius artificis consensu; seruata tamen in omnibus huius constitutionis mensura, sub pœna suspensionis ab officio facientibus, aut permittentibus, juxta grauitatem delicti. Neque opus aliquod notabile alicubi incipiatur, cuius pretium sit vltra ducentos argenteos, nisi de licentia Prouincialis in scriptis habita. Et semper conuentus nostri honestà, & competenti clausura muniantur; seruenturquè circa monasteriorum fundationes, cætera, quæ suis locis sunt diffinita.

CA-

CAPVT XXV.

De bonis temporalibus.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod tàm Vicarius generalis in toto Ordine, quàm Prouinciales in ſuis prouincijs, & Commendatores in ſuis conuentibus, diligentèr requirant ſcripturas omnes, & publica inſtrumenta poſſeſſionum, reddituum, legitimarum, actionum, & quorumcumquè aliorum bonorum domorum Ordinis noſtri, illis quoquomodó pertinentium. Et hæc omnia in communi depoſito, debito ordine, & maxima cum claritate, cuſtodiantur. Ad maiorem ergò ſecuritatem, in quouis conuentu index ſit, ſeù protocolus; in quo omnium ſcripturarum, poſſeſſionum, & reddituũ ad illũ quomodolibét pertinentium ratio habeatur. Qui triplicitér tranſcribatur, & vnus tranſumptus, ſiuè reſcriptus in communi cuſtodiatur depoſito, à Commendatore, & depoſitarijs ſignatus: alius ſit apud Procuratorem domus: & alius in libro viſitationis á Patre Vicario generali, vel Prouinciali factæ exprimatur. Ita vt in omnibus viſitationibus ſuccedentibus, breuiori ſumma iterúm facta poſſeſſionum conuentus, quæ nouitér in augmentum, vel diminutionem venerunt, addantur; vt omnis confuſio & infidelitatis vitetur occaſio. Quæ additio etiam in duplici alio reſcripto explicetur: ita ſané, vt facilé dignoſcantur reſcripta omnia, publicaquè inſtrumenta. bo-

bonorum cuiuſcumqué conuentus,& in promptuſint, quotiès neceſſe fuerint. Similitér omnia debita procurentur,& ita ſcribantur,vt omnium illorum nullo modó poſſit eſſe obliuio. Annuales redditus conuentus, qui à Procuratoribus recipiuntur, non deſignentur in libro dati, & recepti, niſi per tertias partes, vt hac ratione illorum computum Superiori conſtet. Statuimus etiam, ac ordinamus, quod nequé Vicarius generalis, nec Prouincialis, nec illorum Capitula, nec Commendatores, nec quiuis alius poſſit per ſe remittere, aut condonare, nequé renuntiare hereditatem, aut bona, quæ fratribus ex hereditario jure paterno, aut materno, aut quouis alio, illis, & Ordini debentur: nequé redditus, aut quæcumquè alia bona immobilia conuentuum:nequè illa vendere,aut alienare,aut aliquomodò commutare, aut de nouo acceptare, niſi de conſenſu maioris,& ſanioris partis illius conuentus, cui pertinent illa bona: & ſeruata forma decreti Sanctiſſimi D. N. juſſu, a ſacra Congregatione Concilij editi, de rebus Regularium non alienandis. Inſupér volumus, præter ipſius conuentus conſenſum, neceſſariam eſſe licentiam ipſius Vicarij generalis,aut Prouincialis in ſcripis factam. Alienationes autem, ſeù, emptiones, aut acceptationes ſingulas alitèr factas, volumus eſſe nullas,&,nullius valoris, aut roboris habere firmitatem:imo verò præſentiConſtitutione cenſemus, ipſas perpetuò irritas, & inanes.

CA-

CAPVT XXVII.

De modo seruando in petendis eleemosynis.

QVoniam in petendis elcemosynis magna cupiditas, sub specie boni, corda subintrare solet; vnde spiritualis ruina religiosorum animis paratur, & sæcularibus molesti nimis, onerosi, imo & contemptibiles fieri solent: statuimus, vt fratres nostri ad eleemosynas mendicandas nunquam egrediantur, neque petendæ eleemosynæ causa extra monasteria tendant, sub pœna suspensionis ab officio per duos mëses Prælatis infligēda, subditis verò grauis culpæ per quinque dies: nisi cōtingat aliquibus couentibus grauitér egere; quia tunc permittimus, necessariū tantū, & illud solū petere, sine quo non possint viuere; ita vt regula petendi sit necessitas maxima, & non cupiditas. Et hoc potest fieri per obedientiæ fratres singularis virtutis, & exempli, aut per seniores, vel ad id munus obeundū aptiores. Et nè cum Ordinis dedecore rerum omnium species assuefiant postulari, arbitrio Prouincialis, tàm populi, & termini, quàm terræ fructus cuilibét conuentui designentur. Neque vltra numerum sex fratrū ad summum inter omnes egrediantur. Prælatis verò, qui hunc debitum modum seruantes, suos conuentus nequeunt sustentare, numerus religiosorum à Prouinciali diminuatur. Hortamur verò in Domino, & sæpiùs in visceribus Iesu Christi Superiores omnes monemus

nemus, né terrena cœleſtibus, humana diuinis præferentes, ſubditorum ſalutem, ac proindé propriam (cum eorum rationem reddere teneantur) pro vili, ac temporali lucro tot periculis exponant.

Nemo audeat ſuo nomine eleemoſynam pro parentibus, conſanguineis, aut pro alijs extraneorum neceſſitatibus poſtulare, aut accipere. Nequè Prælati, prætèr Vicarium generalem, vel Prouincialem poſſint ad hoc licentiam præbere, ſub pœna recluſionis talem eleemoſynam poſtulanti, ſecundum qualitatem culpæ. Si veró contingat alicuius religioſi patrem vel matrē vrgenti, & graui inopia moleſtari; tunc ille certiorem faciat Prouincialem: ipſe verò, examinata eorum neceſſitate, & cæteris inſepectis circumſtantijs, ei meliori modo quo poſſit, iuxta paupertatem Ordinis, ſubuenire poterit, vt ſic religioſi ab hac cura, & ſollicitudine liberentur. Nequé vllo modo eis permittatur de hoc per ſe tractare, vel in eo ſe immiſcère. Nouerintqué omnes fratres, nulla ratione Ordinem, ſeù Prælatos, ad ſubueniendum eorum parentibus, aut cognatis vnquam, niſi ex charitate, teneri. Strictè præcipimus, ne in aliquo conuentu recipiantur plures eleemoſ næ, ſeù pitantiæ pro Miſſis, quam illæ, quæ intrà duos, aut tres menſes poſſint perſolui, & ab ijs, ad quos ſpectat, obſeruentur decreta à ſacra Congregatione Concilij SanctiſſimiD.N.Papæ iuſſu edita de celebratione Miſſarum, Commendatoribus, aut eorum Præſidentibus infligenda. Potiſſimum veró Prouincialibus ſub obedientia præcipimus, vt pœnam prædictam exequantur, ordinemquè iſtum maximo zelo curent adimplere. Qui vt rectiús obſeruetur, Commendatores in

Capitulo prouinciali fidẽ facere de eius adimpletionẽ teneantur: quod non tantum de eleemosynis á se receptis, sed striĉtius de receptis ab antecessoribus intelligi volumus. Et cum ob sæcularium deuotionẽ maior accesserit numerus Missarum, quàm in eo conuentu persolui possit, Commendator, præcedente Prouincialis consensu, in eos conuentus distribuat, vbi citiùs persoluantur. Nullus religiosorum pro se, aut alijs personis, sed tantùm pro suo conuentu Missarum eleemosynam recipiat, itinerantibus vero liceat, pro itineris tantùm expensis, hoc facere, dummodò necessaria itineris non portent; sub pœna iuxta grauitatem excessus. Nunquam tamen in Ordine nostro vlla ratione dicantur Missæ anticipatæ, pro incertis personis, vel eleemoynis, quæ posteà fortè recipientur, nequé pro eis applicare poterunt, sub pœna suspensionis ab officio per quatuor menses ijs qui in aliquo horum deliquerint. Omnes religiosi Missas celebrent pro intentione conuentus in quo resident. At si pro sua intentione, & deuotione aliquas sibi velint applicare, Prælati illis libentissimè annuant: sed hoc intelligendum est; ita vt pro illis Missis, quas pro se dicunt, nullam eleemosnam recipiant, nisi cúm iter faciunt. Item religiosis, etiam non petentibus, pro sua intentione quatuor Missas celebrare concedimus, nimirùm tribus primis diebus Paschatis, Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes, & in Commemoratione omnium defunctorum: præcipimus tamen strictè sub præcepto formali obedientiæ, quo pro illis nullatenùs eleemosynam, in quacumqué specie illa sit, accipiant.

Cùm autem, sicut eàdem expositio subiungebat, prædic-

dictus Alonsus plurimum cupiat, præinsertas Constitutiones huiusmodi, pro firmiori illarum subsistentia, ac inuiolabili obseruantia, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri: Nobis propterea, eorundem fratrum nomine, humilitèr supplicari fecit, vt desupèr opportuné prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. NOS igitur, qui Constitutiones huiusmodi aliquibus Romanæ Curiæ Prælatis pietate, prudentia, doctrina, & religionis zelo præstantibus, diligentèr examinãdas, & vbi opus foret, corrigẽdas commisimus; fratres prædictos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, eorumquè singulares personas á quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsquè Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentiũ duntaxât consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, Constitutiones præinsertas huiusmodi, Apostolica authoritate, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus; illisquè inuiolablis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes; & singulos tàm juris, quàm facti, & alios quoscumquè defectus, si qui in præmissis, aut eorum aliquo quomodolibet interuenerint, supplemus. Decernentes easdem Constitutiones, ac præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore; suosquè plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; atquè ab eisdèm fratribus nunc, & pro tempore existentibus, firmitèr & inuiolabilitér perpetuò obseruari, & adimpleri. Sicquè, & non alitér in præmissis per quoscunquè iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Le-

gatos, dictæque sedis Nuntios, iudicari, diffiniri debere: irritumque, inane, si quid secùs super his a quoquam: quauis authoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impræssis, manu alicuius Notarij publici subscripis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur; quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datis Romæ, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die secunda Iunij: M. DC. XXIX. Pontificatus nostri anno sexto.

M. A. Maraldus.

Loco annuli ✠ Piscatoris.

Et quia ego Fr. Franciscus ab Angelis, Presbyter, & Religiosus professus sacri Ordinis Discalciatorum B. Mariç Virginis de Mercede: nec non Notarius publicus authoritate Apostolica, descriptus, & matriculatus in archivo Romanæ Curiæ; præsens transumptum, quod incipit à pag. 1. fol. 13. huius libri, & absque interpollatione prosequi tur hucusque (collatione habita fideli & exacta) cū litteris Apostolicis originalibus fœl. recor. Vrbani PP. VIII quibus eiusdem Ordinis Constitutionis ad verbum sunt comprehensæ, cōcordare reperi: ideo hic me subscripsi, solitoque meo tabellionatus signo signaui, rogatus & requisitus in fidem & testimonium veritatis. Hispali, vbi ad præsens residentiā facio, die XXV. Mensis Februarij, Anni Domini MDCLXXXV.



Frater Franciscus ab Angelis Notarius Apostolicus

STATVTA NOVA

ANTIQVIS CONSTITVTIONIBVS addita, æqualemque cum ipsis vim Constitutionis habentia; quia á quatuor Capitulis Generalibus per tria integra sexennia successiua continuatione celebratis sunt præfixa, & in toto Ordine nostro obseruari præcepta.

DISTINCTIO I.

ANTIQVARVM CONSTITVTIONVM methodum obseruantes, in præsenti distinctione inserimus eas omnes additiones, quæ ad communem, & priuatum viuendi institutum pertinent.

ADDITIO AD CAP. IV.
De Officio Diuino.

IN Vniuersa Recollectione nostra obseruetur Rituale, quod ex Indulto Summorum Pontificum omnibus nostri Ordinis professoribus, tám fratribus, quám Monialibus, concessum est; tàm in Officijs proprijs Sanctorum Ordinis, quàm in alijs, quæ ex pluribus priuilegijs votiuè in qualibet Hebdomada recitantur; iuxtà Rubricas in prædicto Rituali contentas.

Nona simul cum sexta toto anni tempore (excepta Ascensionis Domini die) recitetur. Vesperæ autem in toto Ordine nostro, hora secunda post meridiem dicantur.

In domibus nouitiorum, & professorum (non autem in studentium Collegijs) Officium paruum B. Mariæ, quotidie recitetur; præterquám in diebus, quibus festiuitas aliqua, vel idem Officium paruum eiusdem Sanctissimæ Virginis, recitatur in Choro; necnon in maiori Hebdomada.

ADDITIO AD CAP. V. DE HORARUM CANTV.

IN Conventibus, & Collegijs, simul cum Antiphona *Salue Regina*, Lythania Lauretana cantetur omnibus Sabathis.

Secunda, & tertia dies, Resurrectionis, & Pentecostes, nec non tres dies ad Natale Domini sequentes, festumque Translationis S. Iacobi, absque cantu aliquo declarantur. At festum S. Michaëlis Archangeli mensis Maij in vniuersa Recollectione nostra, cum cantu, & solemnitate primæ clasis celebretur.

ADDITIO. AD CAP. VII. DE ORATIONE MENTALI.

PRima die Natiuitatis, & Resurrectionis Domini, Oratio mentalis matutina, vtpotè incompatibilis, omittatur. Quando hiemali tempore Antiphona solemnis *Salue Regina*, ante orationem mentalem Sabathis canitur, sub eodem signo Orationis hora includatur.

ADDITIO. AD CAP. VIII. DE SVFFRAGIIS mortuorum.

PRo Patribus, qui functi fuerint officio Vicarij Generalis, eadem suffragia post mortem in toto Ordine impendantur, quæ exolui deberent, si actualiter fungerentur Officio, quando moriuntur. Pro Vicarijs item Prouincialibus, qui per biennium exercuerint, eadem applicentur suffragia, quæ absolutis Prouincialibus exoluuntur.

Quælibet trium Prouinciarum teneatur suffragia soluere pro his, qui in nostro Romano Hospitio decesserint, videlicet Hispalense Cænobium in Bæthica, Madridanum in Castellana, Panormitanum Conceptionis in Sicula, tamquam pro veris Conventualibus.

Pro Confessoribus etiam monialium extrà fratrum Conuentus decedentibus, Suffragia Conuentualium persoluantur in domo illa, à qua fuerunt egressi ad tale ministerium. Nec non pro fra-

tribus,qui ad nouam conuentualitatem signati, in itinere decesserint, Conuentus á quo recesserunt, suffragia debita soluant. Pro Redemptore autem,qui in suo ministerio obierit,præter communia suffragia,quilibet Sacerdos vnam Missam celebret, & cæteri non Sacerdotes recitationem communem dupplicent.

Omnes Religiosi absentes teneantur pro defunctis fratribus Missas in Constitutione statutas celebrare. Omnibusquè Prælatis præcipimus, vt quàm primùm possint, certiores faciant absentes de morte fratris defuncti;in primoquè communitatis actu omnes sibi subditos moneant,vt quisque suffragia debita impendat.

Commendatores omnes nostræ familiæ in vniuersis Prouincijs, quæ modò sunt, & pro tempore erunt,exequantur Statutum Patronatus Excellentissimorum Ducum Metymnæ Sydoniæ, quo tenentur singuli Sacerdotes,quoties CapitulumGenerale celebratur,duas Missas pro ipsis Dominis applicare, & quilibet Conuentus vnam Missam Conuentualem Defunctorum cum Vigilia, & Responsorio solemni. Insuper decernimus,quod pro Illustrissimis Comitibus Castellarensibus nostræ familiæ antiquis benefactoribus,quando ex hac vita,aliquis eorum migrauerit, fiant in singulis Conuentibus omnium Prouinciarum, nunc & pro tempore existentium, solemnes exequiæ, cum Vigilia, Missa Conuentuali, & Responsorio;& applicentur pro illis, communes disciplinæ, ieiunia,& alia pia opera Religiosorum per vnam Hebdomadam;Monialium autem per vnum mensem.

ADDITIO. AD CAP. X. DE DISCIPLINIS.

INter dies á disciplina, seu flagellatione Conuentuali exceptos, eximi etiam præcipimus festa, Aparitionis, & Dedicationis S. Michaëlis Archangeli,S. Laurentij Martyris, S. Antonij Abbatis, Sanctæ Annæ,Inuentionis Sãctæ Crucis,Omnium Sanctorum Ordinis nostri,Sancti P.N.Augustini, principalis Diocesani Patroni, Præsentationis,Visitationis,Annuntiationis B.Mariæ, & eius Sanctissimi Sponsi Ioseph(dummodò hæc duo vltima festa non transferantur,sed proprijs diebus recitentur. Eximuntur etiam à disciplina Octavæ integræ Beatissimæ Virginis de Mercede, Sancti P.

N.Petri Nolasco, Epiphaniæ Dñi. & Dedicationum nostrarum Ecclesiarum, prima tantùm vice qua fuerint celebratæ: nec non festa Euangelistarum, Sancti Barnabæ Apostoli, & Vigiliæ Corporis Christi, Sancti Patriarchæ nostri. His autem diebus, quibus tota Communitas ad Processionem generalẽ egreditur, si notabilis fuerit fatigatio, Commendator de Consiliariorum voto in disciplina poterit dispensare, dummodò dispensatio non fiat die aliqua maioris Hebdomadæ.

ADDITIO. AD CAP. XI. DE SILENTIO.

HOra prima post meridiem tám in hieme, quàm in verè, cimbali facto signo, strictum obseruetur silentium vsquè ad Vesperas. Et hoc tempore nullus soccis (vulgariter choclos) incedat, vt omnis vitetur strepitus.

ADDITIO. AD CAP. XII. DE CLAVSVRA, & modo exeundi.

TEmpore strictioris silentij non licet è cellis egredi, nisi in casibus in Constit. antiqua permissis. Licet tamen alio quouis tempore egredi, ob aliquam rationalem congruentiam, exercitij commodum, alios vé titulos inexcusabiles, & honestos.

Quando alicui Religiosorum conceditur recreationis facultas, vt ad oppidum, in quo est Conuentus Ordinis, exeat, teneatur afferre testimonium in scriptis á Prælato, de die, qua ab illo conuentu fuit egressus, vt ad proprium reuertatur.

Tam de foris aduenientes, quam foras exeuntes, vno tantùm genu flexo terram pertingente Prælati benedictionem petant, aut ipsi obedientiam præstent.

Præcipimus strictissimé sub formali præcepto Sanctæ obedientiæ, neminem Religiosorum rem aliquam ab alterius Cella extrahere, sine Prælati licentia. Eodemquè præcepto adstringimus Prælatos, ne manuscriptos Codices extrahant, quando Concionatorũ Capsellas visitant.

AD-

ADDITIO. AD CAP. XIII. DE IEIVNIJS.

Vigiliæ Sancti P. N. Petri Nolasco, & Sancti Michaëlis Archangeli mensis Maij inter ieiunia Ordinis connumerentur, si hæc vltima in die Ascensionis non incidant. Excipiuntur tamen ab obligatione ieiunij festa Sanctorum Innocentium, Sancti Raymundi Nonnati, & cuiuslibet Sancti Ordinis nostri, (extrà Aduentum & Quadragessimam) Sancti Iacobi Apostoli, Sancti Laurentij Martyris, Apparitionis Sancti Michaëlis Archangeli (si in die aliqua Rogationum non occurrat) Visitationis, Purificationis B. Mariæ, & Sancti P. N. Petri Nolasco, dummodó hæc duo vltimã festa non incidant post Septuagessimam.

ADDITIO. AD CAP. XIV. ET XV. DE CIBO, & recreatione.

Toto anni tempore fiat prandium hora vndecima, præterquã in diebus Ecclesiastici ieiunij, in quibus dimidia hora suprà vndecimam debet differri.

In solemnioribus diebus, quibus vna recreationis hora designatur, potest Commendator arbitrio suo per vnam, vel dimidiam horam, Orationem mentalem anteponere; Hisquè recreationibus teneatur Prælatus Ædulliumcommunitati ministrare. Dies autem Apparitionum B. Mariæ de Mercede, & Sancti Michaëlis Archangeli (si hoc festum extrà Rogationum dies celebretur) inter solemnia recreationis festa computentur, Nec non dies carnis priuij ante Aduentum & Quadragessimam.

Tempus hiemale, tàm ad Orationem mentalem, quam ad pulsationem ad silentium, & recreationem post collationem, vel cænam, computandum est à prima die mensis Octobris vsque ad Sabathum ante Dominicam Palmarum inclusiuè. Tempus veró æstiuale, seu vernum, ab ipsa Dominica Palmarum, vsquè ad vltimam diem mensis Septembris, etiam inclusiué.

Verno etiam tempore fiat Capitulum Conuentuale intra horã Orationis mentalis matutinæ feria sexta, vel Sabatho: tempore autem hiemali post completorium.

Cum

Cum totus Conuentus recreationis causa vespere in agrum, egreditur, ad Orationem mentalem vespertinam non teneatur.

ADDITIO AD CAP. XVI. DE VESTITV.

QVatuor anni mensibus, in quibus permittitur fratribus sine tunica media dormire, numquàm possint sine corrigia, & Scapulario minori.

ADDITIO. AD CAP. XVII. CIRCA EPISTOLAS.

NVllus Superiorum, sub præcepto Sanctæ Obedientiæ abscondat, retineat, vel aperiat litteras pleno Diffinitorio directas, sed intrà octo dierum spatium teneatur tales litteras clausas Diffinitorio præsentare.

Qui Epistolam alicuius Religiosi legerit, vel absconderit, si Prælatus ipsius non sit, pænæ grauis culpæ subiaceat. Eademque pæna est applicanda scribentibus sine Prælati licentia. Omnibusquè Prælatis præcipimus, vt suorum subditorum Epistolas legant; cùm conformitate tamen ad cap. 19. dist. 1. Const. antiq. Vbi disponitur, quód itinerantium licentiæ non legantur á Prælatis, si sint ab omni liberi suspitione.

Qui ausus fuerit legere, aperire, aut retinere Epistolas directas P. N. Vic. Generali, Patribus Prouincialibus, Diffinitoribus actualibus, Secretarijs tam Prouinciali, quam Generali, nec non PP. Vicarijs Generalibus præteritis; vel eas Epistolas, quas prædicti PP. ad alios dirigunt, præter pænam grauis culpæ suprá impositam, priuatione loci & vocis, atquè incarcerationis pæna, pro tempore culpæ proportionato mulctetur. Si autem Commendator aliquis huius Constitutionis fuerit transgressor, pèr quatuor menses à su officio suspendatur.

Qua propter, vt Superiorum Epistolæ agnoscantur, in superscriptione apponatur hoc verbum: *In nostro Conuentu.* Eodemquè signo notentur Epistolæ eorum, qui fuerint Vicarij Generales. Epistolæ verô Diffinitorum notentur verbo, *Diffinitor*: Nec non Epistolæ Commendatorum directæ alicui subdito hospiti in alio Con-

Conuentu, notentur verbo, *Commendator*, vt Prælatus illius domus, in qua hospitatur, nullatenus eam aperiat. Declaratur etiam, præsentem Constitutionem rigorosè debere obseruari á Monialibus, etiam si sint Commendatrices.

ADDITIO. AD CAP. XIX. DE FRATRIBVS ITER agentibus.

PÆna carceris per decem dies ab antiqua Constitutione imposita his, qui itinerantes domum alicuius sæcularis ingrediuntur, tantùm intelligitur applicanda, si talis domus fuerit suspecta; secus tamen si á suspitione sit libera. Quandò autem pæna grauis culpæ designatur eis, qui die vna vel nocte, extrá Conuentum mànserint sine licentia, inteligendum est in domo non suspecta: nam in suspecta domo mansionem fecerint, præter pænitentiam culpæ grauis, debent incarcerationem pati per decem dies.

ADDITIO. AD CAP. XX. DE REDEMPTIONE Captiuorum.

PEcuniæ, seu quælibet bona, ad Captiuorum Redemptionem spectantia, quarto quoque mense remittantur ad Capita Prouinciarum, videlicet, quæ asseruantur in Conuentibus Prouinciæ Sancti Ioseph, ad Conuentum Sanctæ Barbaræ Madridanum; quæ in Conuentibus Prouinciæ Conceptionis, ad Conuentum Sancti Ioseph Hispalensem; & quæ in Conuētibus Prouinciæ Sancti Raymundi, ad Conuentum Panormitanum, qui dicitur, *del muelle.* Curent autem Prouinciales horum executioni ita incumbere, Captiuorumque ministerio eá sedulitate inuigilare, vt ea, quæ ad nostrum Institutum tàm principaliter spectant, nullam iacturam patiantur.

ADDITIO. AD CAP. XXIV. DE CONFESSIONIBVS & confessoribus.

FRatres nostri non Sacerdotes bis in qualibet hebdomada Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumant, nec non aliis fest-

festis, in Constitutione antiqua notatis.

Nullus Superiorum ex sua priuatiua potestate fulminare queat sententiam priuationis in Confessarios; sed si talis sententia ferenda est á Prouinciali, cum voto Diffinitorij Prouinciæ debet concurrere: Si autem á P.N. Vic. Generali, cum voto duorum Diffinitorum debet ferri.

Dispensatio erga Confessarios, qui quadraginta annos ætatis nō impleuerint, vt fæminarum confessiones possint audire, dum fit à Prouinciali, cum quatuor Diffinitoribus debet concurrere, majori suffragiórum parte fauente. Talisquè dispensatio in scriptis est exhibenda, totius Diffinitòrij nominibus obfirmata.

Licèt autem Confessarius quadragessimum expleuerit annum, non idcircó declaratur habilis ad mulierum confessiones audiendas, quin potiús præsenti Constitutione annullamus, & restringimus facultatem, quæ in licentia ab Ordinarijs habita, poterat includi: vt enim talis facultas ad prædictum exercitium extendatur, vlterior licentia requiritur ab vno ex Superioribus habita.

Confessarij, Concionatores, & Ordinandi, qui Episcoporum examine fuerint repulsi, iterum reducantur ab ordine examinandi; sitquè noua approbatio, nouaquè Superioris licentia necessaria. Ordinandis autem iterari etiám debent vota suæ Conuentualitatis. Qui vero pro Ordinibus recipiendis, á suo Conuentu fuerint egressi, & non ex causa reprobationis, sed ex alio accidenti, Sacros Ordines non receperint, ad sequentes Ordinationes, tantùm necessariá sint communitatis iterata suffragiá.

Prælati á Confessariorum sufficientiæ examine liberi, solùm intelliguntur, qui Vicarij Generales, & Prouinciales, siue Vicarij Prouinciales electiui fuerint. Superior autem potest, & debet, pro suo libito, reliquos Confessarios pluries quam in sua visitatione, toto rigore examinare; solúm excipiendo eos, qui Artium, vel Theologiæ, sint, vel fuerint Lectores.

ADDITIO. AD CAP. XXXVI. DE RECIPIENDIS ad Ordinem.

CLausula Constitutionis antiquæ, in qua prohibetur professi alterius Ordinis ingressus ad nostrum, nisi ex licentia Capituli

tuli Provincialis; sic accipienda est,vt nomine Capituli Provincialis intelligantur Prouinciales, & quatuor Diffinitores illius Prouinciæ, in qua recipiendus est.

Si aliquis ad habitum recipiatur,antequám eius informatio fiat, præstet iuramentum corám Prælato, & duobus Consiliarijs Conuentus; quod si aliquod impedimentum iuxtá nostras Constitutiones,factis informationibus,occurrerit, patietur vltrò ab habitu dimitti;& Prelatus exponat ipsi antè iuramentum conditiones requisitas ad habitum nostrum gerendum. Informationes autem nouitiorum iudicentur à Commendatore, & Consiliarijs Conuentus.

Ad recipiendum nouitios ab habitu semel expulsos,preter examen á Conuentu faciendum, consensus expectetur Diffinitorij Prouincialis, sine quo habitus non tradatur. Neque alterius Ordinis professi, (etiam nostre Obseruantie,) si suffragijs vnius Conuentus repelluntur, ab alio Conuentu admittantur; sed in eodem iterum proponi possunt,& non in altero: generaliterquè obseruetur, quòd semèl in vno Conuentu repulsus, in alio non sit admissus.

Nullus admittatur ad habitum fratris Obedientie nisi sit aptus ad labores manuum,aliaque actiua ministeria, quibus ratione sue professionis est deputandus. Vnde nullus potest recipi ante vigessimum etatis annum completum,iuxtà Constitutionem Clem. VIII.que incipit: *Cum ad regularem disciplinam,&c.*

Magistri nouitiorum á Capitulo Prouinciali eligantur, & extrà Capitulum à toto Diffinitorio Prouincie. Vnde eorum priuatio, & renuntiationis admissio, debet etiam procedere ab ipso Diffinitorio.

ADDITIO. AD CAP. XXXVIII. DE INSTRVCTIONE nouitiorum.

NOuitij pridié ante Eucharistie Sacre Communionem non suscipiant disciplinam, quam de more suscipere solent; si dies ante dictam commuuionem sit Dominica, vel quelibet ex his, que ob specialem solemnitatem excipiuntur à disciplina. Nomine autem nouitiorum quo ad presens non intelliguntur scholastici,qui sunt extrá domos nouitiatus.

ADDITIO. AD CAP. XXXIX. DE PROFESSIONE.

NOuiter professi, illique, qui ante ingressum Ordinis Diaconatus aut subdiaconatus Ordinem habuerint, non habeant votum in Capitulo Conuentuali; nisi post annum integrum à sua professione transactum.

DISTINCTIO II.

Ea hucusquè statuta noua inseruimus, quæ communis priuatiuiquè viuendi Instituti sunt propria: modo procedere oportet ad vlteriores Constitutiones & leges, quæ ad Recollectionis nostræ regimen, & speciositatem, experientia temporis sunt nouiter stabilita, vel derogata, vel clariori sensu intellecta.

ADDITIO AD CAP. I. DE CAPITVLO GENERALI.

CApitula Generalia perpetuis futuris temporibus seruata alternatiua celebrentur respectiuè in Prouincia Conceptionis, & Sancti Ioseph; ita vt minimè duo Capitula Generalia consecutiuè, & immediatè celebrentur in qualibet harum Prouinciarum.

Sãctæ Vniuersalis Inquisitionis Edictum ab Illustrissimo D. D. Fr. Antonio de Sotomayor Generali Hispaniarum Inquisitore promulgatum, & in omnibus Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, promulgari iussum, ad litteram in toto Ordine nostro est obseruandum.

ADDITIO. AD CAP. II. DE ELECTORIBVS CAPITVLI Generalis.

STatuimus, (qualibet Constitutione antiqua non obstante) quòd vacante per mortem Vicariatu Generali nostræ familiæ, eius

Secre-

Secretarius moneat statim Prouincialē Prouinciæ,ex qua fuerat electus Vic. Generalis defunctus,(vel si non sit Prouincialis, Vicariū Prouincialē;) qui,adiunctis secum Diffinitoribus,& Procuratore Generali Prouinciæ, per secreta suffragia eligant Præsidem Generalem, qui Recollectionem totam gubernet, & conuocet ad Capitulum Generale post sex menses á morte dicti Vicarij Generalis celebrandum,in Sabatho sequenti.Si autem in Præsidem Generalem eligatur Prouincialis, aut Vicarius Prouincialis, ijdem electores, à quibus processit Præses Generalis, eligant Vicarium Prouincialem,qui Prouinciam gubernet,vsquè ad Capitulum Generale futurum, & in eo dictus Vicarius Prouincialis habeat in omnibus electionibus,& decissionibus,vocem,& sedem. Et si fortè Prouincialis, cui successit Vicarius Prouincialis prædictus, eligatur in Vicarium Generalem, Vicarius Prouincialis ipse vocem habeat in electione post Capitulum Generale facienda de nouo Vicario Prouinciali. Si verò Prouincialis prædictus non eligatur in Vicarium Generalem, Vicarius Prouincialis illius, in prædicto Capitulo Generali vocem,& sedem habeat post ipsum Prouincialem. Si autem aliqua mutatio fiat circá Prouinciam Siciliæ, succedat Vicario Generali defuncto ille, qui in antiqua Constitutione designatur hoc ipso c. 2. & intrá quadraginta dies congregetur Capitulum Generale; neque tunc nominetur, aut eligatur Vicarius Prouincialis in eadem Prouincia.

Item ordinamus, quód totum tempus intercedens á die electionis prædicti Vicarij Generalis vsquè ad Vigiliam Pentecostes immediatè sequentem, non computetur ad sexennium eiusdem Vicarij Generalis,quod incipit à prædicta Vigilia Pentecostes,non obstante decreto Constitutionis antiquæ.

Insuper præcipimus sub præcepro formali Sanctæ Obedientiæ Prælatis tam Superioribus,quàm inferioribus,& Religiosis omnibus,ac singulis, quòd Processus, seu alia scripta,ad Officium, seu bonū Religionis spectantia,quæ morte Vicarij Generalis fuerint relicta,nullus extrahat,neque accipiat,neque legat,aut modo quouis occultet. Vt autem hoc integrè seruetur,facto inuentario à Cōmēdatore Conuētus,in quo dictus Vic. Generalis decessit, vel cōmorabatur,vel vbi prædicta scripta asseruabuntur,(cui inuētario facien-

do assistere debent duo Diffinitores actuales ex antiquioribus, vel his deficientibus, duo immediatè præcedentes; vel in horum defectu duo Religiosi ex antiquioribus Conuentus, qui cum Commendatore subscribant) Cella claudatur, & addatur in ea noua Clauis, siue aliud genus seræ ferreæ, aut Repaguli pro custodia securiori. Et tale inuentarium cum omnibus Processibus, causis, & scriptis supradictis, nouo Præsidi Generali electo, duobus Diffinitoribus assistentibus, & subscribentibus, tradatur. Idemquè fiat respectu Prouincialis, vel Vicarij Prouincincialis, denuo eligendi.

Nomine Diffinitorij Generalis, & Prouincialis, tàm ad examen legitimationis vocalium antè electiones ad Capitulum pertinentes, quàm ad decissionem controuersiarum circá ipsas; solum intelliguntur P. N. Vic. Generalis, Prouinciales, siue illorum vice gerentes, & Diffinitores, non verò alij Capitulares.

Antè electiones cuiuslibet Capituli, & post eius absolutionem, Præses absoluat ad cautelam vocales omnes, modo præscripto in antiqua Const. cap. 13. dist. 2. Vocalibus autem antè Vigiliam Capituli Generalis, vel Prouincialis, domum Capitularem intrantibus, pœna aliqua arbitrio Diffinitorij est applicanda.

Soli Capitulo Generali liceat, quæ ad condendas, mutandas, addendas, vel minuendas Constitutiones spectant. Decernimus tamen, quod ad mutandam totaliter Constitutionem ad nostrum communem viuendi vsum pertinentem, maior pars non sufficiat suffragantium, sed omnium vota, nemine discrepante, debent necessario concurrere. Eademqu è resolutio omnino obseruanda est ad mutationē totalem cuiuslibet legis ad regimen Religionis spectantis, etiam si talis lex solum acquissierit vim Constitutionis; quia per tria sexenia successiuam approbationem habuerint. Nequè contrá hoc decretum possit aliquis Bullā á Sede Apostolica impetrare, absque prædicto consensu omnium concordi, sub perpetuæ inhabilitatis pœna.

Ad interpretandas Constitutiones vel ad mores, vel ad regimen pertinentes, duæ debent concordare vocalium partes conformes. Quod si ex congregatis vocalibus tres æquæ partes non sint, computari non debent suffragia, quæ inæqualitatem faciunt: taliter, quòd, si sexdecim V. g. sint vocales, ad prædictas interpretationes

tiones sufficiant decem ex illis. Eadem forma, idemque vocalium numerus, necessario requiritur ad derogationem, vel confirmationem, additionem, vel diminutionem, cuiuslibet decreti, siue in præcedenti, siue in dupplici, vel triplici Capitulo stabiliti. Declaratur autem, quòd quando in nostra Constitutione antiqua cap. 3. dist. 2. dicitur, vim Constitutionis habere. quod per tria Capitula Generalia obtinet approbationem; debet intelligi per tria sexenia continuatim, & integrè adimpleta.

Quidquid in quolibet Diffinitorio, siuè Generali, siuè Prouinciali, siuè intrà, siuè extrá Capitulum decidendum proponitur, prius consulatur in voce, & expendantur rationes incipiendo á Diffinitoribus minus antiquis vsqué ad Præsidem; ita vt vno loquente, cæteri taceant; & posteá decidatur in alia sessione per secreta suffragia, scilicet per schedulas, aut calculos albos & nigros, iuxtà qualitatem rei decidendæ. Idem declaratur obseruandum in qualibet resolutione à Capitulo Conuentuali facienda.

Si aliquis vocalium tempore Capituli Generalis, vel Prouincialis, legitimè sit impeditus, & officium renuntiare nollit, ad renuntiandum compelli non possit; nequè alter eius loco ad suffragandum assumatur. Si autem aliquis Diffinitor ratione infirmitatis Diffinitorio assistere nequeat, in eius cella Diffinitorium non fiat: attamen priuatiuè consultus debet suffragari eo modo secreto, quo Præses Diffinitorij disposuerit.

Si aliquod ocurrerit dubium circa legem aliquam ad vitam communem, seu regimen spectantem, instetquè ocasio tàle dubium decidendi, aut legem interpretandi, consulatur P. N. Vic. Generalis, si in ea Prouincia adsit, qui cum eiusdem Prouinciæ Diffinitorio determinet quid sit agendum. Ea autem declaratio, seu interpretatio à Diffinitoribus debet subscribi, & eius ratio in publico testimonio referri, vt Capitulo Generali inmediato possit præsentari. Si autem P. N. Vic. Generalis á tali Prouincia absit, prædicta resolutio fiat á Diffinitorio eiusdem Prouinciæ, posteáquè superiori Generali remitatur.

AD-

ADDITIO. AD CAP. III. DE ELECTIONE VIC. Generalis.

STatuimus,vt in ambitiosos, & suffragiorum solicitatores sibi, vel alijs, non solúm exequantur pœnę in Const. antiqua expræssæ;sed etiam illæ,quæ à Clemente VIII. fœlicis memoriæ infliguntur in decretis pro Reformatione Regularium,approbatis á Sacra Congregatione eorundem Regularium, & innouatis ab Vrbano P.VIII. quibus decernitur, vt directè, vel indirectè, sibi, vel alijs,suffragia procurantes,priuationem Officiorum,quæ obtinent, ipso facto incurrant,nec non inhabilitatem ad futura Officia : super quibus,nisi á Summo Pontifice dispensari non possint. Et easdem pœnas incurrant complices ipsorum ambitiosorum, & scientes,& non reuelantes.

ADDITIO. AD CAP. IV. DE ALIJS AD ELECTIONES & Capitulum spectantibus.

IN Capitulo Generali sint scrutatores suffragiorum Prouinciales omnes , & quilibet Diffinitor antiquior in sede ex omni concurrente Prouincia.

Nulla electio ad Generale , vel Prouinciale Capitulum pertinens,vltrà duos menses possit differri; excepta electione Vicarij Prouincialis;in qua ad P.N. Vic.Generalem pertinet non eligere, sed nominare gubernatorem Prouinciæ,pro tempore quo ipse ab fuerit:nám postquam venerit in Prouinciam, in qua Prouincialatus vacat, debet Vicarium Prouincia em Canonicè eligere cúm voto decissiuo quatuor Diffinitorum, & Procuratoris Generalis Prouinciæ. Si veró intrá sex menses,á die obitus Prouincialis cōputandos, Vic.Generalis in dictam Prouinciam venire non possit, nominet Præsidem ad prædictam electionem Vicarij Prouincialis,& eam dicti suffragantes & præses exequantur. Vicarius autem Prouincialis à solo Vic.Generali nominatus in interim, appelletur Præsidens Prouincialis Et hoc in posterûm obseruetur, antiqua Constitutione hac in parte derogata.

Om-

Omnes electiones,quæ circa plures versantur, fiant per schedulas manu Secretarij scriptas,in quibus varia nomina sint expressa; nulliquè ex vocalibus cuiuslibet Capituli (etiam Conuentualis) liceat suffragari alijs schedulis. Obseruetur autem Constitutionis antiquæ decretum, quantum ad numerum schedularum. Electio veró,quæ circà aliquid singulare versatur, per calculos fiat albos & nigros, vel per duas schedulas, quarum vna ad approbandum notetur littera A.& ad reprobandum littera R.

In qualibet electione, si prima, & secunda vice non fiat, publicentur in Capitulo, seu Diffinitorio, suffragia omnia, quæ in duobus illis scrutinijs diuersis fuerint tributa personis. Superior autem nullam particularem publicè designet, sed extrà in priuata Consultatione proponat.

Clausula Constitutionis antiquæ,in qua præcipitur,quód solum panis,& aqua electoribus ministretur,quando inter se non conuenerint in electione Prouincialis (& idem debet fieri in electione Vic.Generalis,)intelligi debet, si intra duos dies se inuicem conformare noluerint.

Antè celebrationem Capituli Generalis in toto Ordine(&Prouincialis in sua Prouincia) per dies quadraginta fiant preces pro recta vocalium directione,& fœlici Capituli euentu. Hoc autem obseruent Commendatores omnes, etiam si litteras conuocatorias non receperint.

ADDITIO. AD CAP. V. DE ELECTIONE ET Officio Procuratoris Generalis Romanæ Curiæ.

Officium cuiuslibet vocalis,siuè ad Generale, siuè ad Prouinciale Capitulum spectet, statim vacat, si ijs, qui eligitur in Procuratorem Romanæ Curiæ, munus Procurationis acceptat. Prædicto autem Procuratori plenam concedimus facultatem ad dispensandas irregularitates ex apostasia prouenientes, Apostatasqué ad Sacramentorum administrationem habilitandos. Licet autem Constitutio antiqua prohibeat eius priuationem,nisi in Capitulo, sic accipienda est, vt nomine Capituli intelligatur Diffini-

torium Prouinciæ, cuius filius est ipse Procurator.

ADDITIO. AD CAP. VI. DE OFFICIO VICARIJ Generalis.

SEcretarius P. Vic. Generalis sit ex vna ex Prouincijs Hispaniæ, & non ex altera; debetquè assumi ex alia Prouincia, ab illa cuius est ipse P. V. Generalis; ita vt si Vic. Generalis est ex Prouincia Conceptionis, eius Secretarius sit ex Prouincia Sancti Ioseph; & è conuerso. Si verò P. Vic. Generalis sit ex Prouincia Sicula, vel ex alia pro tempore erigenda; tunc Secretarius eius assumatur ex alia Prouincia, ab illa cuius erat Secretarius Vicarij Generalis præcedentis.

Si renuntiatio P. Vic. Generalis intra Capitulum Generale fiat, à toto Capitulo debet acceptari, si ad id rationes suppetant; si autem extrà Capitulum fiat, ab omnibus Diffinitorijs, vno quoquè in sua Prouincia. Resolutio autem Prouinciæ Siculæ ad sex menses completos expectetur: quibus transactis, & resolutione non præsentata cæteris Diffinitorijs, validum omninó sit quod fuerit iudicatum à duabus Hispaniæ Prouincijs. Attamen P. Vic. Generalis renuncians determinare debet quodnam ex Diffinitorijs debeat esse primum in resoluendo; & causis examinatis, alteri Diffinitorio remittatur quod fuit decretum in primo; suffragantesquè proprio nomine subscribant in præfata renuntiatione, quam denegant, vel acceptant.

Ad causarum iuditium potest P. N. Vic. Generalis procedere Iure Ordinario, cum voto decissiuo duorum Diffinitorum tantū, vti Constitutio antiqua ipsi concedit ad grauissimæ pœnę inflictionem. Si autem in prima instantia procedit ad expulsionem professi, quatuor Diffinitores, vel Commendatores, debent cum ipso concurrere: sin veró per appellationem, aut recursum, de tali causa cognoscit, si tunc adest Prouinciæ, in qua talis causa fuit primo iudicata à Prouinciali, & Diffinitorio, tenetur procedere cum voto decissiuo duorum Commendatorum, vel vnius Commendatoris, & alterius coniudicis, ex his, qui ad subrogationem vniuersaliter asignantur.

Pro-

Processus, & causę criminales tradantur á P. Vic.Generall suo successoris, ita quod non possit rescindere, delere, aut comburere, quoduis scriptum spectans ad Prouincias in communi, vel ad aliquem Religiosorum in particulari, nisi iam è vita decesserit.

ADDITIO. AD CAP. VIII. ET IX. DE OFFICIO Prouincialis ; & de electione Vicarij Prouincialis.

Vide hic Additionem ad cap. 4. huius distinctionis, § nulla electio.

VAcante quouis modo Prouincialatu, P. N. Vic. Generalis cum quatuor Diffinitoribus, & Procuratore Generali Prouincię, Vicarium eligat Prouincialem. Si autem in eo euentu á Prouincia absit, per se solum debet nominare Pręsidem Prouincialem, vsquè dum ad electionem faciendam cum Diffinitoribus veniat.

Si Prouincialis electus Officium intrà Capitulum renuntiare vellit, à toto Capitulo eius renuntiatio debet acceptari. Si autem extrà Capitulum, à P. N. Vic. Generali, & Diffinitorio Prouincię.

Si Pręses Prouincialis á P.N. Vic. Generali nominatus, & posteá à Diffinitorio in Vicarium Prouincialem electus, biennium adimpleat à die nominationis in Pręsidem vsquè ad Capitulum Prouinciale, non poteſt in tali Capitulo ad Prouincialatum euehi, neque in toto illo triennio ad aliquod suffragatiuum officium assumi, siuè ad Generale, siuè ad Prouinciale Capitulum pertineat: ità quod solum ad Generalatum est eligibilis. Idem sit de eo, qui per biennium, Prouincialatu absoluto functus est.

Prouinciales omnes, seu Vicarij Prouinciales, suis successoribus tradant Processus, & causas criminales. Ipsisquè sub formali pręcepto Sanctę obedientię pręcipimus, de illis facere inuentariũ, quin deleant, vel comburant aliquod instrumentum. Processus autem successoribus traditi, ex eorum consensu simul cum suo Diffinitorio reuideantur, & instrumenta, quę seruari debent, securitate seruentur; cętera autem comburantur.

 Quo-

Quoties Prouincialis, vel Vicarius Prouincialis, ratione absentię à Prouincia, vel grauis infirmitatis, vicegerentem instituit, talis sic suffectus Pręses Prouincialis nominetur. Cui Prouincialis concedit commissionem circa visitationes, Conuentualitates, & his similia, cum ea limitatione & moderamine, quod suę benè visum fuerit prudentię.

Prouinciales seu Vicarij Prouinciales, teneantur suam vltimam visitationem explere sex mensibus ante celebrationem Capituli Prouincialis.

Annos professionis ad Prouincialatum necessariò requisitos, duodecim futuros declaramus iuxtá cap. 4. dist. 2. Vnde standum est cap. 15. eiusdem distinctionis, in quo decem tantúm pręfigebantur anni.

ADDITIO. AD CAP. XVI. DE STATV OMNIVM Prouinciarum, & alijs ad Ordinem pertinentibus.

IN quolibet Conuentu semper sint Conciliarij Patres Generales pręteriti: & his deficientibus, Prouinciales seu Vicarij Prouinciales in dignitate antiquiores. In istorum defectu Diffinitores pręteriti, eodem Ordine seruato. Vbi autem nullus ex relatis inuenitur, Prouincialis in principio sui trienij alios Consiliarios designet; qui vltrá ternatium numerum non excedant, nisi in Conventu, vbi quatuor Diffinitores actuales assistunt, qui pręcissè debent esse Consiliarij ante omnes alios ex numeratis.

Clauigeri, informantes, & Procuratores Conuentuum, Canonicè eligantur, & eorum fiat noua electio, quoties nouus advenit Commendator.

ADDITIO. AD CAP. XVII. DE OFFICIO Diffinitorum.

NVllus Diffinitor possit esse Secretarius Vicarij Generalis, aut Prouincialis, aut Commissarij Generalis. Si verò aliquis Secretarius in Diffinitorem eligatur, statim ab officij prioris exercitio se abstineat. Similiter etiam incompatibile est Officium Secretarij cum Officio Commendatoris.

In

In electionibus Diffinitorum intrà Prouinciale Capitulum debet suffragari Procurator Generalis Prouinciæ, simul cum cæteris Electoribus in Constitutione nominatis.

Diffinitores (sinè intrà, siué extrà Capitulum electi) si per biennium suo sunt officio functi, nequeunt in immediato Capitulo, nequè in toto sequenti triennio, ad idem munus assumi; ad alia autem Officia poterunt eligi.

Vacat Diffinitoris Officium, si absquè Diffinitorij consensu abest à sua Prouincia per semestre. Si autem Diffinitor aliquis intrá suam Prouinciam, & á Conuentu, in quo Diffinitorium celebratur, fuerit absens, & vocatus non veniat intrá quindecim dies, ad casum diffiniendum eius loco subrogetur, qui ex ea Prouincia Vicarij Generalis munus obtinuit; ita vt sit plures fuerint, is qui in Officio fuit prior, sit in subrogatione præcessor. His deficientibus, subrogetur qui Prouincialis, seu Vicarij Prouincialis, munere sit potitus; eàdem in concursu plurium officij præcedentia seruata. In istorum defectu subrogari debet Diffinitor præcedentis immediatè trienij, qui antiquior fuerit in professione. Quod si prædictorum nullus interfit, succedat Commendator domus, in qua Diffinitorium celebratur.

Declaramus, quòd si aliquis ex subrogandis absens fuerit, & vltrá sex leucas non distet, eius aduentus expectetur; ipseque admonitus, intrá duos dies venire teneatur; quod si intrà hoc spatium non venerit, alter eodem ordine subrogetur. Hic autem subrogandorum concursus, ad Electiones priuationes, renuntiationes, expulsionemquè professi, est necessarius: ad alia autem negotia excluditur talis concursus.

Sententia á Diffinitorio lata, & á reo admissa, moderari, aut reuocari non possit, nisi á toto Diffinitorio, á quo processit. Declaratur autem, quod quæcumquè licentia, seu facultas, à Diffinitorio concessa, seu denegata, nullatenus possit variari per alium concursum vice Diffinitorum subrogatum, sed soli ab eodem numericè Diffinitorio, á quo prædicta concessio, seu denegatio, manauit.

Diffinitores actuales (ratione sui Officij, & non personæ,) ab officijs Hebdomadarii, Missæ vltimæ, Diaconi & Subdiaconi, in posterum eximimus. Et quiá litteræ, quæ ad ipsos mittuntur, nec le-

gi. nec aperiri valent à Commendatore, consequenter decernitur, eorum Capsellas á solis Prælatis superioribus visitandas. Prætereà, in Conuentibus, vbi prædicti Diffinitores hospitantur, semperCõsiliarij sint, & absentibus Commendatore, & Vicario, in omni cõmuniatis actu præsideant.

Numquam Præses Conuentus antè Diffinitores sedeat, nisi sit Præses in Capite, nullo scilicet talis domus Commendatore existente. Quando autem Vicarius Conuentus, seu qui Præses in capite non est, aliquem Communitatis actum ingreditur, si ibi adsit aliquis Diffinitor, Communitas non assurgat. Ipsi autem Diffinitores licentiam ad ingrediendum, vel egrediendum, in Communitatis actibus, á Vicario Conuentus non postulent, vtpotè ab eius obedientia exclusi.

Omnes istæ & singulæ exemptiones, quæ ratione Officij actualis Diffinitoribus conceduntur, ad eos qui Generalatu fuerint functi, in omnibus extendantur.

In qualibet consultatione, & resolutione Capituli Conuentualis, circà ea, quæ recursum debent habere ad Diffinitorium Prouinciæ, liberum sit Diffinitoribus assistere, nequeant tamen suffragium ferre. Ipsi autem Diffinitores, & Procuratores Generales, iuramentum de fidelitate sui muneris coram P.N. V. Generali, & Diffinitorio præstent.

ADDITIO AD CAP. XVIII. DE OFFICIO Commendatorum.

AD priuationem Commendatoris, & acceptationem renunciationis eiusdem, & ad electionem nouam alterius, & ad expellendum professum ab habitu, vel ad pœnam aliam grauissimam infligendam, non possit se solo Prouincialis procedere, nisi cum quatuor Diffinitoribus Prouinciæ, & voto eorum consultiuo, & decisiuo. Aliter sint nullę omnes & singulæ sententiæ, priuationes, acceptationes, & ellectiones prædictæ. Idemqué obseruare debet P.N V. Generalis quantum ad priuationes, electiones, & renuntiationes præfatas.

Nullus superiorum Commendatorem, seu Rectorem aliquem vltrà

vltrà duos menses suspendat; intrà quem terminum, si suspensionis causa talia concernat, quod Diffinitorum determinationem exposcat, superior eos consulat, ipsorumquè iuditio, quod iustum fuerit, decernatur. Sin autem bimestris spatio transacto, Prælatus reuertatur in suam domum. Hoc autem intelligi debet, si in Constitutione, vel statuto aliquo Capituli Generalis, seu Prouincialis, non sit maior, quàm duorum mensium suspensio designata; nam si ex lege aliqua taxata est pœna quatuor vel sex mensium suspensionis, potest & debet, superior talem pœnam conuicta culpa applicare.

Concedimus Commendatoribus facultatem, vt de consensu Consiliariorum, possint non Sacerdotibus licentiam concedere per quatuor dies ad itinerandum, sed non sine socio; modo id fiat vrgente necessitate, in quà ad superiorem recurri non potest.

Non possunt Commendatores, aut eorum Præsides, præceptum formale Sanctæ Obedientiæ, vel censuram aliquam, toti Communitati imponere, absque expræssa licentia in scriptis vnius ex superioribus. Quæ licentia nota sit Communitati; ante quàm censura siuè præceptum imponatur.

Præcipimus sub præcepto formali Sanctæ Obedientię, & sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuę, per tres annos, quod nullus Commendator, seu Pręses Conuentus, possit consumere eleemosynas Missarum in quacumque speciè pecuniæ; (Si veró sint in alijs speciebus, sub pœna suspensionis per quatuor menses.) quin pro dictis eleemosynis Missarum satisfecerint. Solùm tamen permittitur expendi vsquè ad centum argenteos, & non amplius. Si autem in aliquo Conuentu Missarum eleemosynæ superfuerint, teneatur Commendator, seu Præses (sub pœna suspensionis ab officio per quatuor menses, Præsidi verò sub pœna priuationis vocis & loci per idem tempus,) monere Prouincialem, vt quid agendum sit determinet.

Districtè etiam prohibemus, nè pręsides Conuentuum possint absquè licentia Prouincialis, vel suorum Commendatorum, aliquid ex bonis ipsorum Conuentuum consumere, nisi tantum pro sustentatione & vestitu Religiosorum. Commendatoribus etiam præcipimus, vt ad Capitulum Prouinciale deferant inuentarium rerum mobilium suorum Conuentuum subscriptum nominibus

pro-

proprijs Depositariorum, & Prǫsidentium, quos suis locis relinquunt. Prǫdictum tamen Inuentarium maneat etiam transcriptum in Conuentu, & teneatur Præses illud tradere Commendatori sequenti. Quod si in prǫdicto Inuentario falsa constiterit contineri, & in computo dati, & accepti, Commendator arbitrio Diffinitorij secundum qualitatem culpæ puniatur, simul cum Depositarijs; nisi constiterit fuisse coactos á Commendatore subscribere aliqua in re gravi, quæ vera non sunt. In quo casu teneantur ipsi Depositarij monere Diffinitorium, sub pœna incarcerationis per duos menses. Culpa tamen Commendatoris probata, voce actiua, & passiua, & etiam loco, per vnum annum priuetur.

ADDITIO. AD CAP. XXI. DE VISITATORE.

P. N. Vic. Generalis, Prouinciales, & Visitatores, solum sumant pro expensis itineris de eleemosynijs Missarum Conventus visitati: non verò de alijs pecunijs eiusdem Conuentus.

Mandata, censuræ, & præcepta, cuiuslibet Superioris, seu illius Visitatoris in prima visitatione relicta vsque ad secundam robur habeant; maneant tamen abrogata, si expressé non confirmentur in ipsa. Quæ veró præcipiuntur in vltima visitatione trienij, vel sexenij, quantum ad censuras, & præcepta, finito sexennio, vel triennio, expirent: sub ratione tamen mandatorum perseverent. Vt autem prædicta mandata à quolibet Superiore, vel Visitatore confirmentur, sufficiens non sit, quod ea in communi approbet, vel confirmet; sed necessium sit, quod ea indiuidualiter innouet, & sigillatim in scriptis apponat.

Nullum præceptum formale sanctæ obedientiæ, nullaque censura à quocumque Superiore Communitati imposita, vim ligandi habeat, nisi in scriptis intimetur. Excipimus tamen censuras, & prǫcepta, quǫ de jure, & more nostro in primo visitationum Capitulo ore tenus imponi solent.

A nullo Superiorum posit nominari Visitator, nec eius Secretarius ex domo visitanda; nec visitator ex visitanda domo Secretarium queat eligere.

Causæ omnes sive intrà, sive extrà visitationem, semel actuatæ vsque ad sententiam Diffinitiuam exclusivè à nullo Superiorum vltrá vnum mensem differantur, sed intra designatum tempus judicentur.

AD-

ADDITIO. AD CAP. XXIII. DE COLLEGIJS.

IN qualibet Prouincia possunt designari tria Collegia; & si aliud vlteriùs oporteat institui, poterit P. N. Vic. Generalis illud consultô instituere. Cætera autem tàm ad lectiones, quám ad lectores spectantia, ipsius Vicarij Generalis arbitrio relinquuntur disponenda.

Prelatis autem Collegiorum, siuè aliorum Conuentum, vbi scholastici actuales tempore vacationum morantur, omninò interdicimus facultatem, vt prædictos scholasticos ocupari permitt ãt in Officijs Procuratoris, Sacristę, Ianitoris, aut Refectorarij: neque eos mittant ad quærendas elemosynas, siuè ad alia negotia peragenda, sine superioris consensu, sub poena suspensionis ab Officio per quatuor menses irremisibiliter infligenda.

FORMA ABSOLUTIONIS generalis, quàm Prælati concedunt fratribus sibi subditis existentibus in Capitulo, in solemnitatibus principalioribus.

Dicto á fratribus, *Confiteor Deo, &c.* dicat Prælatus: *Misereatur, &c.* deinde surgat, & dicat,

SI tenemini aliquo vinculo maioris, vel minoris excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, à iure, vel ab homine: in quantum se extendunt gratiæ, & priuilegia Ordini nostro concessa: Ego absoluo vos, & restituo vos sacrosanctis Sacramentis Eccle-


siæ,

ſiæ, communioni, & vnitati fidelium. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti. ✠ Amen.

Item, eâdem authoritate ego diſpenſo vobiſcum ſuper omni irregularitate, ſiué irregularitatibus; ſi quám, vel ſi quas contraxiſtis: & habilito vos executioni Ordinum,& officiorum veſtrorum.

Eâdemqué authoritate abſolvo vos ab omni tranſgreſſione Regulæ, & Conſtitutionum, & admonitionum maiorum noſtrorum; & ab omni pœnitentia oblita, & negleta; & maximè á pœna,quæ debetur proptèr fractionem ſilentij inter duo capitula: Et ab omnibus alijs,à quibus conſueuit fieri abſolutió in ſimilibus ſolemnitatibus, vel capitulis:vt ſitis abſoluti ante tribúnal Domini noſtri Ieſu-Chriſti, habeatiſquè vitam æternam, & viuatis in ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Poſtea iniungat leuem aliquam pro ſuo libito pænitentiam.




IN-

INDEX
DISTINCTIONVM,
ET CAPITVM HARVM CONSTITVTIONVM.

DISTINCTIO I. DE HIS, QVÆ AD priuatum cuiuslibet ſtatum pertinent, fol. 14.

Ca-

F I N I S.



INDEX RERVM
NOTABILIVM,
QVÆ IN HIS CONSTITVTIONIBVS
CONTINENTVR.

In quo d. Distinctionem. c. Caput. f. Folium. a. Additionem nouarum Constitutionum demonstrant.

A

Am-

Bal-

B

C

pori-

Dif-

F

G

H

I

Lectio

L

M

pro-

N

O

Q


R

S

T

V

A.



LAVS DEO.

